G 12

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII*
B
69
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIONES
MISCELLANEÆ
IN
LIBRUM JOB.

Quibus Verſionum & Interpretum paſſim Epicriſis inſtituitur ; & obſcurioribus hujus Libri locis lux nonnulla adfunditur.

Præmiſſa eſt

CRITICA DISQUISITIO,

Ubi operis totius indoles & Scriptoris conſilium expenditur. Cum Examine Oraculi celebratiſſimi

DE GOËLE.

Ἰὼβ ὁ μέγας ὄντως ἐκεῖνος καὶ γενναῖος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστής. ap. Suid.

AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM SCHREUDER, &
PETRUM MORTIER, Juniorem.
MDCCLVIII.

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO
JACOBO VERNETO,
SS. Theologiæ apud Genevenſes Profeſſori, plurimam in Chriſto Salutem.

UT harum in Jobum obſervationum munere TE compellarem, Eruditiſſime Vernete, ſuaſit tum conſtans, quæ mihi pridem tecum intercedit amicitia, tum ſtudiorum utriuſque ſimilitudo, tum denique accuratiſſimum, quo polles, judicium, ingenuo candore ſimul, & eximia urbanitate, mire temperatum. Nec enim adeo mihi ſum Suffenus, ut non probe ſentiam, multa in iis quæ commentor reprehendi, multa in melius mutari poſſe. Neque tamen exiſtimo nihil in publicam lucem proferendum, quamvis alias vulgo utile, quod nævis aliquibus laboret, aut omni ex parte beatum & abſolutiſſimum non ſit. Sed ea eſt fere hominum litteratorum infelicitas, ut quos potiſſimum in conſilium adhibere vellent, iis privatim ſua Scripta communicandi, ſcilicet magna regionum intercapedine disjunctis, facultas deſit.

Noſtris igitur lucubratiunculis faveas, quæſo, doctiſſime VERNETE, *ſed ſic ut au-*

ctori ſimul ſalubribus monitis conſulas. Illæ nempe ſeveram tui ingenii limam adeo non reformidant, ut contra invitent ultro, & ſuo quodam jure flagitent. Id vero me eo magis a te impetraturum confido, quod in ejusmodi verſantur, quæ ſtudiis tuis maxime congruere, tibique admodum cordi eſſe, ſatis ſcio. Hic habes de libro, qui inter Veteris Inſtrumenti cæteros, ut majeſtate eminet, ita obſcuritate ſua inſignis ſemper eſt habitus, de ſcopo nimirum ejus & indole, conjecturas, a vero forſan parum abludentes. Habes in loca ſatis perplexa tum interpretationes novas, tum divinationes etiam criticas; habes, quæ ſacram Scripturam aſſidue volventi præcipua occurrerunt, de optima eam interpretandi ratione. Ejus ibidem nativus decor, qua humana quævis ſcripta longe antecellit, & divina, legentium animos ſui amore inflammare apta pulchritudo, commendatur. Præterea videbis, me variarum Verſionum identidem criſin inſtituiſſe, ubi volupe fuit, veſtram Genevenſem, aut ut melius loquar, noſtram vernaculam, quando quidem omnium, qui idiomate Gallico utimur Proteſtantes, communis eſt, ab iniqua & præcipiti Criticorum cenſura, pluribus in locis, vindicare. Atque utinam nova illa,

quam

quam Venerandus Paſtorum & Profeſ-ſorum Genevenſium cœtus adornavit, tamdiu promiſſa, tot votis expetita, tandem aliquando in lucem prodeat! Quæ nullus dubito quin omnibus, quæ in veteri recte ſe habent, ſervatis, errores qui obrepſerunt abſtergeat, & maculas eluat.

Haud illibenter, uti ſpero, id a te tuiſque ſimilibus ignoscetur, ſi Commentatorum ſubinde Sphæram egreſſus, mihi temperare nequiverim, quin tricis criticis & grammaticis, invitante materia, Philoſophemata nonnulla intertexerem, quibus momentoſiſſimas Religionis Veritates illuſtrare, aut vindicare aggredior, prophanorumque in eam intoleranda audacia conſurgentium ictus retundere.

Melius me certe nunquam otium, quo tandem frui divina indulſit benignitas, impendere poſſe duxi, quam ſi ſacrarum litterarum ſtudium, miſere noſtris temporibus collapſum & ſpretum, ſaltem langueſcens & ſopitum, excitarem, ac pro viribus promoverem; meditatus primum mihi, deinde aliis forte nonnihil profutura. Quæ autem ego in ſolitudine & umbra mecum agito, eadem tu, mi VERNETE, *præclaris ſiquidem ingenii dotibus inſtructus, in luce & celebritate hominum fortius exſequeris; tibi nuper demandati muneris of-*

ſicia gnaviter capeſſens, & ex amœniorum litterarum hortis, ad SS. Theologiæ penetralia, cum Bonorum omnium plauſu; transductus. Quod ut tibi, & Genevæ tuæ, ſummorum quondam Theologorum; ut artes cæteras, quibus etiamnum viget, prætercam; laude florenti, feliciter procedat; ac ejus per te damna ingentia reparentur, tuque firmiori in poſterum uſus valetudine, quod jam dudum præſtitiſti, exemplo; doctrina; Scriptis egregiis, rem Chriſtianam per longos annos tueri atque augere pergas; Deum Opt. Maximum toto animo precor. Vale.

**** D. ſexto Calendas Decembres, anni poſt Chriſtum natum MDCCLVII.*

AD

AD LECTOREM.

DUdum a prudentibus fuit animadverſum, quod ſacer contextus ad intelligendum ſit difficilis, obſcuritatis hujus inter cæteras haud minimam cauſam exiſtere, Interpretum & Commentatorum turbam, quæ immenſa prope eſt, cujuſque mole incondita is obruitur potius, quam illuſtratur. Sic ut ingenue fatendum ſit, obortam ei pluribus in locis caliginem, quæ ſenſum impervium reddit, infelici & præpoſtero explanare conantium ſtudio magna ex parte deberi. Infinita propemodum in S. Scripturam volumina edita ſunt, neque ullum ab uſque ejus origine ſæculum ſuis caruit Interpretibus; quos tantum abeſt ut propoſiti finem adſecutos dicas, ut multiplici contra ſenſuum, quotquot menti humanæ incidere poſſunt, varietate & diſcordia, perplexum Lectoris animum diſtrahant, & inexplicabili involvant

labyrintho; unde fit, ut claris per ſe locis nebula obducatur, minus vero perſpicua denſiores, quam prius, obſideant tenebræ. Quid faciendum igitur? Num ideo S. Scripturas elucidandi laborem, velut inanem, aut nocivum potius, in totum abjiciemus? omnem novas interpretationes ſuſpandi & eruendi ſpem deponemus? Plane contra cenſeo. Nunquam huic malo, quod ex nimietate ortum, tutius occurretur, quam ſi acriter ſacrarum litterarum lectioni invigilantes, delectu adhibito, eorum lucubrationes, qui in ſcripturam commentari variis temporibus aggreſſi ſunt, ſevera criſi excutiamus, ut a maleferiatis ingeniis ſæpius eheu! depravatam & diſtortam in priſtinam dignitatem reſtituamus; ſimul in optimos quosque Interpretes, qui nobis huic intelligendæ facem accenderunt, vigilem intendentes oculum; ut ſi quid infirmitate humana, aut præ-

ju-

judicio, aut incogitantia ceſpitaverint, ſeu circa intricatiorum enodationem aliquid, quoniam nemo ûnus omnia videt, intactum reliquerint, noſtra, ſi pote, ſuppleatur induſtria.

Atque hæc demum cogitatio, in Scripturarum Lectione per multos jam annos verſanti animum impulit, ut quæ nunc prodeunt in Jobum obſervatiunculas chartis illinerem. Quas privato uſui primum deſtinatas, tecum B. L. communicare, tibi forte etiam nonnihil profuturas, ardens ſuaſit S. Litterarum ſtudium, atque impenſus erga veram Religionem amor. Neutiquam mihi conſilium fuit librum inter cæteros θεοπνεύστους, ut ſublimitate, ſic & obſcuritate inſignem, perpetuo commentario illuſtrare. Talium enim, quorum ſub pondere oppreſſus jacet, jam habemus plus ſatis. Præterea tenuiores nobis, quam pro tam ingenti cœpto, opes ſuppetunt, neque id noſtrarum

virium eſt. In inſignioribus locis ſtuduimus tantum, inter tot diſcrepantes ſententias illam, quæ maxime vera videretur, aut majori probabilitatis colore ad verum accederet, quanto valuimus judicio ſecernere; bene animadverſa confirmare, & exponere luculentius; aut ſi quid per tenebricoſa novæ lucis adfulſit, vel cùm doctorum Interpretum ſolertiam ſubterfugiſſet, nobis ſe ſponte ac ſatis feliciter obtuliſſe viſum eſt, id in medium promere; arbitrio totius rei peritioribus relicto.

Obſervationes miſcellaneas damus, tanquam fercula per ſaturam appoſita. Criticis ac Philologicis admiſcuimus modo nonnulla Theologica; modo quædam ex altiori & ea, quæ prima dicitur, Philoſophia petita; tum multa quoque ad mores informandos & fovendam pietatem ſpectantia; multa denique, quæ ad ingenium libri & ſcopum intelligendum pro-

propius pertinent, ut & quæcunque ad orationis ὕψος, & totius operis decorem eximium ac nativam pulchritudinem commendandum apprime faciunt. Rati ſcilicet, maximam ſcriptorum illecebram, varietatem eſſe, nosque hac potiſſimum via, lectoris tædium, quod ex continua rerum ejusdem argumenti tractatione creatur, abſterſuros, & cuivis palato & guſtui facturos ſatis.

Profecto, parum illos idonei Scripturarum interpretis munus implere cenſeo, qui tricis grammaticis obhærentes, nihil aliud crepant, quam dialectorum vim, origines vocum, veterum codicum diſcrepantias, lectionum aut verſionum varietates: qui de locorum ſitu, de moribus & ritibus antiquis, de fruticis, aut lapidis, animalisve nomenclatura, ſine fine, diſputant, (quæ cæteroquin magnam utilitatem habere, & ad Scripturæ intelligentiam apprime conferre, non diſ-

diffiteor) dum ipſam interim Scripturæ medullam, res, ſenſus, veritates, quas complectitur, eximias, ne extremo quidem digito attingunt; nucleo videlicet omiſſo, corticem ſectati. Ex quorum operoſa tractatione nihil hauſeris, unde ad pietatem inſtructior, in fide confirmatior, recedas. Quod equidem nolim ſic intelligi, quaſi eorum inſtitutum probem, qui veri ſenſus textui ſubjacentis indagatione neglecta, vocis alicujus aut commatis occaſionem captant, &c, qua data porta ruentes, in locorum communium campos ſecure exſpatiantur; qui ex Scholis Theologicis aut Ethicis tritiſſima quæque exſcribunt, quæ opportune, importune, ſummo cum legentium faſtidio, inculcent. Ab ejusmodi mea longe diſcrepat & mens & ratio. Verum id dico, dum S. Scripturas ſedulo verſamus, aliis explanaturi, earum divina vi & incomparabili pulchritudine nos

tios ſic affici decet, ut in commentatione noſtra, tanquam in ſpeculo, quædam ejus imago eluceſcat, quæ ad imos uſque legentium ſenſus pertingat. Nec in ſermonis charactere, rerum & ſententiarum pondere notando, iisque omnibus, quæ pios affectus movere apta nata ſunt, aut ſigna manifeſta divinæ originis produnt, recenſendis, ceſſare unquam debet boni interpretis opera.

Videbis Interpretes a me identidem reprehendi, eorum errores, ſeu in vertendo ſacro Textu, ſeu in enarrando, plurimos notari. Id feci haut lubens, conſcius loquor, ſed quoniam ipſa res ferebat, & inſtituti ratio. Docti illi & ingenioſi licet, homines nempe fuerunt, ac, uti optime ſcis, L. B. falli humanum eſt. Hujus ſicut nihil a me, ſic nihil a quoquam mortali, alienum puto. Neque nominis ſplendorem vel auctorum famam Veritati & Rationi quicquam præjudicare

diffiteor) dum ipſam interim Scripturæ medullam, res, ſenſus, veritates, quas complectitur, eximias, ne extremo quidem digito attingunt; nucleo videlicet omiſſo, corticem ſectati. Ex quorum operoſa tractatione nihil hauſeris, unde ad pietatem inſtructior, in fide confirmatior, recedas. Quod equidem nolim ſic intelligi, quaſi eorum inſtitutum probem, qui veri ſenſus textui ſubjacentis indagatione neglecta, vocis alicujus aut commatis occaſionem captant, &, qua data porta ruentes, in locorum communium campos ſecure exſpatiantur; qui ex Scholis Theologicis aut Ethicis tritiſſima quæque exſcribunt, quæ opportune, importune, ſummo cum legentium faſtidio, inculcent. Ab ejusmodi mea longe diſcrepat & mens & ratio. Verum id dico, dum S. Scripturas ſedulo verſamus, aliis explanaturi, earum divina vi & incomparabili pulchritudine

nos

nos ſic affici decet, ut in commentatione noſtra, tanquam in ſpeculo; quædam ejus imago elucefcat, quæ ad imos uſque legentium ſenſus pertingat. Nec in ſermonis charactere, rerum & ſententiarum pondere notando, iisque omnibus, quæ pios affectus movere apta nata ſunt, aut ſigna manifeſta divinæ originis produnt, recenſendis, ceſſare unquam debet boni interpretis opera.

Videbis Interpretes a me identidem reprehendi, eorum errores, ſeu in vertendo ſacro Textu, ſeu in enarrando, plurimos notari. Id feci haut lubens, conſcius loquor, ſed quoniam ipſa res ferebat, & inſtituti ratio. Docti illi & ingenioſi licet, homines nempe fuerunt, ac, uti optime ſcis, L. B. falli humanum eſt. Hujus ſicut nihil a me, ſic nihil a quoquam mortali, alienum puto. Neque nominis ſplendorem vel auctorum famam Veritati & Rationi quicquam præjudicare

care æquum exiſtimo. Serio pleraque, quæ diſplicebant, refellere ſum agreſſus, aliquoties tamen, pro re nata, ridendo verum dicere, aut inſinuare potius, & tacite ſuadere, malui. Sunt enim quædam opiniones tam abſurdæ, tam alienæ, tam a communi ſenſu abhorrentes, ut operam ludere videatur, qui eas ſeria oratione excipiat, cùm riſu potius ſint explodenda, & fortius ac melius joco, quam ulla gravi ratione revincantur.

Forſitan miraberis, L. B. Alb. Schultenſium a me ſæpius ad partes vocatum. Cauſa tamen eſt in promptu. Ejus in Jobum Commentarius, poſt tot alios noviſſimus exſtat, ſimulque ſuo merito celebratiſſimus; adeo ut antecedentibus cæteris palmam præripuiſſe perhibeatur, & omnium, qui noſtras haſce litteras colunt, ad ſe oculos trahat. Hujus igitur potiſſimum nævos & defectus, ſi qui erant, notari ſedulo è re fuit ſacra tractan-

tium

tium volumina, tyronum præſertim; ne ſcilicet vitia magnarum virtutum comitatu velut circumſepta, animis facilius obrepant, vel admirationis illicio fallant; & ne, quod adoleſcentibus admodum proclive eſt, *decipiat exemplar vitiis imitabile.* Vir fuit Cl. Schultens, pius & probus, multijugæ lectionis, eruditionis inſignis & variæ, perſpicacis ingenii, linguarum quæ apud doctos in pretio ſunt, Arabicæ inter cæteras, callentiſſimus; brevi, cunctis prope dotibus inſtructus, quæ idoneum præſtant Scripturæ Interpretem. At idem in eloquentiæ genus turgidum & inflatum, ſeu ab ipſa natura, ſeu aſſidua orientalium Scriptorum commercio, propenſior fuit. Unde factum, ut ab illo vitio Jobæa verſio colorem traheret, ac ſimplex & nativa illa S. Scriptoris ſenſuum venuſtas, tanquam minio quodam & ceromate infuſcaretur. Deinde, dum a vulgo receptis

pla-

placitis diſcedere metuit, & alieno potius judicio indulget quam ſuo, in abſonas eum ſubinde, & contortas expoſitiones ipſa vi Syſtematis abripi, quamvis reluctantem, neceſſe eſt. Præterea cùm Arabiſmi cultor foret fervidiſſimus, ac pro rato duceret, Hebræa edi ſci ac intelligi non poſſe abſque Dialecti hujus ſororiæ ope; Syſtema quoddam confinxit originationum, cui dum nimio opere litat, & ubique fere verbis Hebraïcis ſignificationes complexas, & mire perplexas, atque energias intenſiſſimas, ex Arabiæ latifundiis ſcilicet repetitas adſtuit, a genuino & obvio S. Scriptoris ſenſu declinat nonnunquam, abſtruſa captans, & inanes Meteorologias. Equidem quanta ſubſidia tulerit S. Litteris linguæ Arabicæ ſtudium, ubi a Chriſtianis Interpretibus excoli cœpta eſt, quam lucem plurimis ſacri codicis textibus affuderit, nemo, niſi in hiſce rebus plane hoſpes, ignorat.

Te-

Teſtes ſint Scaliger, Bochartus, Capellus, Hottingerus, Pocockius, immortalia nomina! Sed ſapientis effati *μηδὲν ἄγαν*, *ne quid nimis*, ſemper meminerimus.(*a*) Neque hic uſus, licet inſignis, ultra modum trahi debet, quaſi in hoc uno Criticæ ſacræ prora & puppis vertatur; aut is, qui manu nocturna & diurna Hebræum textum verſaverit, quoniam Arabum ſcriptorum lectione deſtituitur, nihil, aut parum admodum in Bibliis cernere poſſit. Multo minus Moſis & Prophetarum ſtilus, ex poſteriorum Arabum, aut, qui poſt Hegiram vixerunt, Sarracenorum, Scriptis æſtimari debet, & ad eorum formam & indolem, tanquam amuſſim, exigi. Ea ſunt hominis, dilecto ſtudio ni-

(*a*) *Quod hic occaſione data conſignare debui, ne qui Arabicæ linguæ ſtudioſi ſunt, præ ſtudio, ſicut plerisque moris eſt, ſeſe ita quaſi auctorare & addicere pergant tuendis eorum partibus, quorum doctrinam conſectantur, ut nihil eos peccaſſe, Jovem lapidem jurare parati ſint.* Verba hic Salmaſii τȣ πάνυ. præf. ad *Elichman. Tab. Cebet.* facio mea.

nimium faventis, & amore rei per ſe laudabilis in transverſum acti. Interim lubens agnoſco & prædico Schultenſium egregia de ſuo, id eſt, ex Arabiſmi penu prompſiſſe; multa ejus commentatione Jobi loca illuſtrata, & felicius, quam alibi uſquam, in verſione reddita; me ex utraque profeciſſe multum, ultro profiteor, maximumque ex earum lectione fructum aliis ſpondeo. Si hic illicve nonnulla culpaverim, aut quos animadvertere mihi viſus ſum, errores perſtrinxerim, quotulam illi partem faciunt univerſi operis, in quo tot interpretamenta reperire eſt, quæ veritate ſua, & mira felicitate, commendantur, quorum plura etiam diſerte in obſervationibus meis cùm laude retuli? Hæc ideo dico, ne quis me Viri doctiſſimi famæ obſtrepere voluiſſe ſuſpicetur, aut egregiis detrahere laboribus; cum id hominem Chriſtianum maxime dedeceat, & omnes odii aut livoris cauſas procul habeam.

Vi-

Videlicet amicus Socrates, amicus Plato, amicus quoque, propter præclaras dotes, Schultenſius, quanquam vix mihi de facie notus fuerit; ſed magis amica Veritas.

Erunt quoque, ſat ſcio, qui in conjectando, circa rectam textus Hebræi conſtitutionem, me audaciæ intolerandæ arguent. Nimirum hodiedum habemus Theologos, qui puncta omnia & apices, quos ſuis Codicibus Maſſoretharum vitilitigatrix allevit diligentia, tanta veneratione proſequuntur, ut ipſis religio ſit, vel latum unguem inde diſcedere; aut ſi quis, iis neglectis, paulo aliter eadem verba legere tentet, levis mutationis diſpendio ſenſum ſuculentiorem eruens, actum prorſus eſſe de Textu, ac totius S. Scripturæ auctoritatem periclitari, clamitent. Iidem ſtupendo divinæ providentiæ miraculo pertendunt, ſic cautum fuiſſe S. Codicis integritati, ut per varios caſus decurrentium ſæculorum, tot re-

petitas exemplarium unius ex alio deſcriptiones, tot errandi amanuenſibus cauſas oblatas, ne una quidem litterula e textu excidere, aut minima ejus particula luxari, & loco ſuo dimoveri quiverit. (*a*) Quos tamen ſatis refellit Græcorum Novi Teſt. Codicum diſcrepantia, & immenſa illa variarum lectionum ſeges, quam tanto ſtudio collegerunt Viri docti. Unde ſacri Textus integritas & auctoritas potentius aſſeritur, nedum ut labem aliquam accipiat; uti pridem a ſummo Viro R. Bentlejo oſtenſum eſt (*b*). Quod ad punctorum Hebraïcorum antiquitatem attinet, vix in univerſo Eruditorum choro unum reperies, qui nunc ſerio tueatur; adeo potenter eam Lud. Capellus, *in arcano* ſuo *punctationis*, & *Vindiciis contra Buxtorfium*, pro-

(*a*) Vid. Iſaac. Voſſium *de LXX. interpret.* Præfat. ad Lector.

(*b*) *Remarks upon The Diſcourſe on Freethinking*, §. XXXII.

profligavit & *aculeatas* illas, uti vocat, *quisquilias*, difflavit. Quo opere perlecto, miror, alicujus judicii dari hominem, qui punctationis negotium Ezræ, aut ipſi etiam Moſi, tribuere auſit: cum præſertim tot invictis argumentis in cumulum accedat, ex recentiori Cl. Fourmontii apud Academiam Pariſienſem obſervatione, ipſa Judæorum monumenta reperti illius ad ſæculum a Chriſti nativitate ſextum diſerte originem referre.

Qui vero ea ſuperſtitione attinentur, ut omnem conjectandi libertatem a S. Textus tractatione procul arceant, & in ea re accuratæ Critices operam ſacrilegii poſtulent, pro me reſpondentem audiant Virum eruditione juxta & pietate inſignem, *Franciſcum Hare* Ciceſtrenſem nuper in Anglia Epiſcopum. Is Lectorem Philebræum, Præfatione Libri Pſalmorum, quos ad Metrices legem exactos edidit, ſic alloquitur: „ Quod Poëſeos Hebrai-

„ cæ ratio hactenus incognita fuerit,
„ & oculatiſſimorum hominum indu-
„ ſtriam fugerit, qui in illa explo-
„ randa incaſſum laborarunt, quam-
„ vis operam maxime ſtrenuam ad-
„ hibuerint, & acutiſſime animum
„ in omnes partes verterint, his de-
„ mum cauſis deputandum exiſtima-
„ vi, quod in his omnibus aliter ſe
„ res habeat, quam vulgo creditum
„ eſt, quod recta Hebraica legendi
„ ratio hodie ignoretur; quod pun-
„ cta Maſoretica veram legendi ra-
„ tionem corruperint; quod denique
„ ſacer Codex ſua quoque fata paſ-
„ ſus ſit, pariter ac alii omnes, cu-
„ juscunque generis, codices, &
„ ab injuria temporum exſcripto-
„ rumque incuria atque inſcitia mul-
„ tum labis acceperit; omniſque fere
„ generis menda, ad aliorum vete-
„ rum ſcriptorum modum, illum
„ etiam commacularint. De quibus
„ omnibus recte, an ſecus, ſenſerim,

„ pe-

„ penes Lectorem ſit judicium, cum
„ Diſſertationem proxime ſequentem
„ legerit, ad quam illum remitto.
„ Hic tantum dicere liceat, in hac
„ me ſemper fuiſſe ſententia, nun-
„ quam cum ſacris litteris bene actum
„ fore, neque illarum Interpretes
„ in iis recenſendis atque enarrandis
„ eadem cum laude verſaturos, quam
„ in aliis veterum ſcriptis edendis at-
„ que illuſtrandis obtinuerunt, do-
„ nec iiſdem critices ſubſidiis, eadem
„ judicii ἀκριβείᾳ, præjudiciis omnibus
„ ſepoſitis, libere utantur, fruantur.
„ Quæ enim idonea ratio reddi poſſit,
„ cur magni illi in omni litterarum ge-
„ nere & præſtantes Viri, qui in Ethni-
„ corum ſcriptis recenſendis tam præ-
„ clare operam poſuerunt, totque in
„ iis loca priſtino nitori atque integri-
„ tati curis ſuis feliciter reſtituerunt, in
„ ſacris tamen excolendis nihil ſimile,
„ nihil egregii fecerint, nec eandem ul-
„ la ex parte gloriam adepti ſint; niſi

„ quod in illis liberi, libere agerent,
„ & quicquid rationes Criticæ ſuade-
„ bant, id pronis animis ipſi excipe-
„ rent, nullo partium ſtudio, affectu
„ nullo præpediti, & quod ipſis vi-
„ debatur, lectori palam exponerent
„ & aperte? In his contra omnem
„ judicii libertatem exuiſſe videntur,
„ quaſi non amplius ſui juris eſſent,
„ ſed partium, quibus addicti erant,
„ mancipia. Unde factum, ut acu-
„ men, ingenium, judicium, eru-
„ ditio, artesque illæ Criticæ, quæ
„ aliis ſcriptis tantum lucis, elegan-
„ tiæ, ornatus attulerunt, nævis de-
„ tegendis, maculis eluendis, pravis
„ lectionibus eliminandis, luxatis in
„ ordinem cogendis, ſuperfluis re-
„ ſecandis, lacuniſque & hiatibus
„ ſupplendis, (quæ omnia illis in
„ ſcriptis ſæpiſſime egregie, & pæne
„ ſupra fidem præſtiterunt) ad ſacras
„ litteras converſis ſtudiis, quaſi pri-
„ ſtini muneris oblitæ, novis prorſus

„ mo-

» modis, quid poſſint, experirentur.
» De tollendis enim ejusmodi men-
» dis ne cogitarunt quidem plerique
» Interpretes, ſed toti fuerunt in iis
» occultandis, tuendis, conſecrandis;
» nec in id laborarunt, ut pravam
» lectionem meliorem, vel levi emen-
» datione, facerent, ſed ut ex rece-
» pta lectione, quæcunque demum
» fuerit, ſenſum qualem qualem eli-
» cerent, durisque & coactis inter-
» pretationibus, invita Critica, invi-
» ta Grammatica, quaſi vi quadam
» extorquerent. Mihi igitur, in hoc
» opere elaborando, alteram illam
» viam inſiſtendum duxi, libereque
» omnibus Critices ſubſidiis uti de-
» crevi, ac ſi in alio quovis ſcripto
» verſarer, præconceptis cujuscun-
» que generis opinionibus procul a-
» motis, iis præſertim, quas de divi-
» na vel θεοπνεύστῳ punctorum origi-
» ne, & de abſoluta ſacri codicis per
» omnia integritate, Majores noſtri

„ de Judæis magiſtris avide nimis ar-
„ ripuerunt: cum ipſa luce clarius
„ ſit, ſi ſimiles his opiniones de aliis
„ Veterum ſcriptis apud eruditos in-
„ valuiſſent, non eo quo nunc ſunt
„ loco, humaniores litteras futuras;
„ hodieque etiam ſcripta illa, quæ
„ nunc tam emendata, pura, nitida,
„ integra leguntur, iisdem fere men-
„ dis obſita eſſent atque obfuſcata,
„ ac editiones illæ, quæ primæ poſt
„ renatas litteras prodierunt, quarum
„ nullæ jam ferendæ ſunt, nec quiſ-
„ quam paulo eruditior legere ſuſti-
„ neat.

Hucusque reverendus Epiſcopus, quibus addas licet, quæ in Prolegomenis Pſalmorum idem fuſius ea de re diſputat. Hanc vero ſemitam inire, tanto duce & auſpice, haud cunctatus, conjecturas pauculas, circa Hebræi Codicis, aut potius editionis Maſorethicæ emendationem, in medium protuli; ſed dubitanter, mihimet diffiſus,

ſiſus, eaque modeſtia, quæ conjecturas decet. Minime enim, quod tantum conjecturæ ſint, ſtatim rejiciendæ ſunt & exſpuendæ; ſed tunc demum, ſi neceſſitas abſit, aut ſimilitudo veri; de quo Magiſtrorum Artis judicium eſto, ut eorum ſcilicet arbitrio ſtent meæ, aut cadant. Atque utinam contingerent nobis Membranæ illæ Maſſorethicis Codicibus vetuſtiores, quas bene multas excuſſiſſe ſe ait doctiſs. *Houbiguant*, Oratorii ordinis Presbyter, quibusque impigre uſus eſt, ad concinnandam eam Bibliorum, quam nuper cum publico communicavit, editionem! aut evolvere daretur alios, paris notæ, codices Hebræos, quos in Oxonienſi Bibliotheca latentes, eodem fere tempore, eruiſſe ſe teſtatur doctus ille (*a*) Anglus, cujus nunc non ſuccurrit nomen, qui varias, & momentoſas quidem nonnul-

(*a*) Conſule Diarium Anglicum, cujus titulus eſt *Manthly review*.

nullas lectiones exhibent, & a Tiberiadenſis ſcholæ recenſione haud paucis in locis diſcrepant. Dici vix poteſt, quot tunc nebulæ diſpellerentur, quantaſve improviſa hæc lux Criticæ ſacræ ſuppetias ferret.

Quam longo Auctores ſacri intervallo diſtent a profanis ſcriptoribus, dicere nihil attinet apud eos, qui priorum θεοπνευστίαν agnoſcunt, & divinitatis characteres, quibus undique refulget ſacra Scriptura, animi oculis intuentur. Sed perhibere auſim, parvo fructu, & peſſima regula ejus ſtudium & lectionem inſtitui, ſi obliviſcaris, hominum miniſterio Deum ibi uſum, ut ad homines loquatur. Coeleſtia Oracula terreſtrium organorum ope transmitti, adeoque hominum captui, ingenio, linguæ attemperari. Quod ſi Apoſtoli & Prophetæ vulgarem & plebejum ſermonem, in divinis mandatis referendis, uſurparunt, ſi conſuetudinem & morem hominum

in ſcribendo ſecuti ſunt, quod plus ſemel D. Paulus monuit, & ſi non monuiſſet, res tamen ipſa ſatis teſtaretur; quæ cauſa, obſecro, dici poteſt, cur ad alias leges SS. Scripturarum interpretationem exigamus, quam eas, ex quibus ſanxit recta Ratio & unanimis hominum ſenſus, auctorum ſcripta qualiacunque ſint, expendi & dijudicari debere? Minime dico, res ipſas, nam divina ab humanis toto, ut ajunt, coelo diſcrepant; ſed mentem, ſententiam, conſilium ſcriptoris; ſed verborum vim, comparationum ſcopum, tropicarum locutionum intentum, ratiocinationum ductum, ſeriem, & nexum. Si ab hac norma delires, nec his legibus regi te patiaris, tunc per devia, nullo tramite & duce, æternum errabis, & fanaticorum more, quælibet obvia phantasmata amplexus, brevi naufragium patieris bonæ mentis. Cuilibet ſcripto unicus hæret ſenſus, is nempe, qui ab auctore inten-

tenditur. Arte quidem poteſt oratio aliqua in plures flecti ſententias, ſi ambiguitate verborum abuſus, hunc illumve ſenſum, dedita opera, adfingere ſatagas uni aut alteri pericopæ. At cordati Scriptoris librum integrum ſi evolvas ſedulo, eumque ex æquo dijudices, verus & genuinus ſtatim eluceſcet ſenſus, qui indivulſus verborum comes, Scriptoris mentem prodit, neque ultra de ea ambigere ſinit: ſiquidem quæ diverſis ex æquo ſenſibus ſe accommodant, ea revera nullum habere dicenda ſunt. Quid fiet igitur ſolenni illo quorumdam axiomate: *Scripturam multiplicibus eſſe ſenſibus prægnantem; ejusque verba ſignificare quicquid ſignificare poſſunt*; quicquid nempe ſeorſim ſumpta, & ab orationis ſerie divulſa, phantaſiæ luxurianti ſuggerere valebunt. Actum, profecto, erit de Scriptura ſacra, actum de doctrina ſalutis, ſi ejusmodi regula invaleſcat apud Theologos, neque ejus aſſer-

ſertores in Morboniam ablegentur. Pollet ſane Scriptura prægnantiſſimis ſenſibus; quippe quæ res ingentes, Veritates præſtantiſſimas, nobis ob oculos ponit, & myſteria tractat ad Dei tum naturam, tum univerſam adminiſtrationem pertinentia, quæ ejusmodi ſunt, ut quantumvis mentis aciem contendere annitamur, ejus captum ſuâ magnitudine ſuperent; Ea nos docet, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, neque ipſa imaginandi vis unquam complexa eſt. Cordis humani penetralia reſerit, ingenitæ malitiæ abyſſum recludit, vitiorum ac virtutum indolem, morum regulas, omnia vitæ officia, ubertim explicat. Illud facit ſermone gravi & ſimplici, pondere & energia verborum, quæ argumento cum ſint aptiſſima, ad rem rectà ducunt, & ſingula non *multiplices* res & *diverſas*, ſed *multum*, id eſt ingens aliquid & momentoſiſſimum, exprimunt.

Al-

Allegorias (*a*) quod ſpectat, ea neutiquam efficiunt duplicem ſenſum; ſed ad rem aliquam comparatione alterius illuſtrandam adhibentur. Adeoque quoties N. T. Scriptores nonnulla ex Veteri deſumpta allegorice ſunt interpretati, non ſic accipiendum, quaſi novos in oraculis ſenſus retegerent, hucuſque inauditos, & allatum vaticinium multiplices ſimul res complecteretur; Minime id quidem. Celebria tantum S. Vatum effata, & notas hiſtorias intento argumento per ſimilitudinem quandam accommodarunt, quo magis diſcentium mens dictis adverteret, iiſque percelleretur vividius.

In vaticiniis, quæ typica vocantur, alia eſt ratio. At, inquies, tua hic te deficit regula, cum duplex ibi eventus, adeoque duplex Oraculi ſenſus ad-

(*a*) De allegoricarum interpretationum regulis & abuſu; quibusque eæ limitibus coërceri debeant, vide egregia docentem Perizon. *Orig. Babylon.* Cap. 9.

admittatur, & unus quidem alio præſtantior. Ajo contra, quando una res per, aut trans aliam conſpicienda præbetur, nullam hinc proprie ſenſus duplicitatem oriri, ex cujus ambiguitate mens dubia pendeat. Sed ſi propius adtendas, quædam habet vaticinium typicum, quæ propiori rei, id eſt typo, examuſſim quadrant, & in eò complementum ſuum ſortiuntur, quædam alia vero, quæ, nativa vocum vi, non niſi in antitypum competunt. Duplex quidem perſona depingitur, & velut in unam permiſcentur duæ, ſed ea lege, ut quid cuique proprium ſit diſcerni queat, & de una aliquid dicatur, quod minime pertinet ad alteram, id quod demum in eventu ex ipſa collatione patefit. Luculento ſit exemplo, decántatiſſimum illud Jobi circa Goëlem vaticiniam, quod typicis eſſe annumerandum, noſtra ni fallor evicit Diatriba.

Sed ad Jobum tandem redeamus,

aut librum potius, qui ejus nomine inſcribitur. Hujus conſcribendi tempus ignoratur, Auctor eſt incertus, nexus cum reliquis Veteris inſtrumenti libris, & univerſa ſacræ hiſtoriæ ſerie, nullus apparet. Et tamen dignitas rerum, ſtili majeſtas, ſpirat divinum quid, ut hîc facile Dei manum agnoſcas, nec temere ab ingenio humano tale opus profectum judices. Sunt ſua equidem S. Scripturis ſigilla indubitata, miracula nimirum & prophetiæ, ex quibus ambobus divina earum vindicatur auctoritas, & fidem iis derogantium pertinacia revincitur. Sed haudquaquam prætermittendum reor, aut parvi faciendum argumentum illud, quod ex Scripturis in ſe ſpectatis, & intimo legentium ſenſu, petitur. Fruſtra cauſeris, eum ex inclito præjudicio, & præconcepta de his libris, tanquam coelitus datis, opinione natum. Crede mihi, L. B. lege placido & attento animo, ſepone alia credendi

ar-

argumenta, hoc unum quantum valeat, ipſemet experieris. Volve, verſa, excute inter alios Jobum. Qualem hîc numinis ſpeciem effictam vides! quam reverendam majeſtatem! quam inexhauſtam perfectionum vim! Imperium quam tremendum, cui omnes univerſim Creaturæ parent; cui mali genii, haud ſecus ac boni, famulantur; quod coelum, terras, maria, inferos, ſolo nutu concutit! Ibi hominis ex pulvere conflati, imbecillitas, ſed ſimul, ſuprà reliquorum animantium ſortem poſiti, nativa dignitas, quam expreſſis coloribus pingitur! Vide quam præclara ibi doceamur, de Naturæ mirandis, de Conditoris providentia, præſertim circa humanum genus, & diverſa ipſius erga malos & bonos agendi methodo! de variis hominum officiis, de ſincera Religione, de puritate ſimul & ſimplicitate divini cultus! Hæccine dices ab humano cerebro, iis præſertim tempori-

ribus excogitata? aut apud rudes rerum omnium mortales, inter naſcentis Philoſophiæ cunas, hunc foetum editum? Antiquiſſima excute gentium monumenta apud Aſſyrios, Phœnices, Perſas, Aegyptios; Græciam poſtmodum perluſtra, ſerius litteris excultam, & ſuis Sophis ſuperbientem; unde quæſo fit, ut cum omnia Scripta conquiſiveris, nihil tamen reperias ad puræ Religionis ideam quod ſpectat, quod cum noſtro Jobo ulla ex parte conferri mereatur? Si regeſſeris, Rationis lumini, quæ hoc libro docentur, utique deberi, cum ei ſint plane conſentanea; quæro iterum, quî fiat, ut dum idolorum cultu totus compleretur orbis; dum fabulis innumeris, Coſmogoniis & Theogoniis ἀπεράντοις, quales Sanchoniatonis, Orphei, Zoroaſtris adhuc fragmenta exhibent, Oriens illuſus cæcutiret, dum, quæ de Natura Numinis, de moribus & hominis officio Diſci-

ſciplina tractat, apud Ethnicos ne nata quidem eſſet; quî inquam factum, ut in Auſitide, Jobum & Amicos tanta lux ſubito circumfulſerit? aut in vicina Madianitide auctor Poëmatis ea de Deo, ejus providentia, vera Religione, ediſſerat, & quidem tali ſpiritu, quem tot ſæculis, tot laboribus mens hominum exculta probare & admirari, ſed nullatenus dicendo adſequi poſſit? (*a*) Namque egregie fallaris, quando doctrina aliqua rectæ rationi probatur, & ingenitis notionibus probe congruere & conſentire deprehenditur, ſi ſtatim ſubſumas, eam nos a mentis penetralibus marte proprio eruere potuiſſe, neque ad id revelationis ope indi-

(*a*) Dices, argumentum totum niti libri vetuſtate; qui ſi ad uſque captivitatis Babylonicæ tempora detrudatur, ut nonnullis placet, tum ratiocinationis noſtræ vis eliditur. Reſpondeo, admiſſa hypotheſi, inconcuſſum nihilo minus ſtare argumentum, non jam ſpeciatim a Jobo, ſed ab univerſo veteri Canone, cujus is liber unus eſt, ductum.

diguiſſe; qui ſolennis eſt hodiernorum Deiſtarum paralogiſmus. Iſti Religionis naturalis ſtrenui aſſertores, ſcilicet, cum ſemel myſteria proſcripſerint, tanquam abſurda, & Rationi repugnantia, ſacris inde ſcripturis nullum uſum relictum, arguunt; quippe quæ ibi docentur vera & bona, rationis ſolius lumine nos aſſequi potuiſſe. Dementes illos! qui non cernant, aliud Rationem ipſam eſſe, aliud hominum mentes, labe peccati vitiatas, & excæcatas: aliud, quod Ratio a Creatore indita, ſi id per revelationem divinam e tenebris eruatur, nobisque ante oculos ponatur, approbet, atque ultro amplecti velit: aliud, quod homines ſibi relicti, propria induſtria indagaturi fuerant, & reperturi. Quantum his diſcrimen interſit, omnium ſæculorum & gentium experientia docuit. Veritates illæ, quas ſolas Deiſtæ amplexandas crepant, tanquam unice ad Religionem conſtituen-

tuendam neceſſarias, ipſiſmet abſque Revelationis ope vix per nebulam viſæ fuiſſent, ſaltem mortales pleroſque omnes æternum latuiſſent. Si ſemel igitur Ethnicos, tot artibus florentes, cum rudi & incondita Hebræorum natione contendamus; ſi inter Philoſophorum ſcripta, & Veteris Canonis libros comparationem inſtituamus, ilico apparebit, quid valeat, quid præſtet, quantumque hominibus proſit divina revelatio. Cedo inter antiquas Philoſophorum Scholas, Religionis naturalis inſtauratorem, qui illam nos docuerit, qualem ex ſolo libro Jobi haurimus! Nimirum digitus hîc Dei eſt; divinum liber ipſe inſtinctum arguit. Nec melius totam diſputationem concludere poſſum, quam dicto Elihui: *Ut video Spiritus eſt in hominibus, ſed inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Job XXXII. 8.

Hæc ſunt, quæ præfanda habui, Lector! Tu vero noſtras Obſervatio-

tio-

tiones, quanta potuimus cura elaboratas, benignus accipe; ſi quid ceſpitatum ſit, ignoſce quæſo. Si quid minus caute dictum, aut alios offendere aptum imprudenti exciderit, boni conſule. Paratum vides errata agnoſcere & emendare, ac meliora monſtrantem ſequi; utpote qui ſupra omnia verum amem. Operæ certe impenſæ non poenitebit, aliquid ſi ad miſere collapſa noſtro ſæculo ſacrarum litterarum ſtudia inſtauranda, contulerim, ſi calcar id ſtadium decurrentibus addiderim, ſi meo exemplo ſuaſerim, ut lutulentis rivis omiſſis, & ſtagnantium paludum mephiti procul relicta, ipſum fontem adeant ſcripturarum, omnemque induſtriam adhibeant, ut is limpidior fluat, unde puræ Religionis latices hauriantur, qui in vitam uſque æternam ſcaturiant.

DIS-

DISQUISITIO CRITICA IN LIBRUM JOB.

Qua operis indoles & Scriptoris conſilium expenditur.

I. *VEritas hiſtoriæ Jobi certiſſima.* II. *Jobus vetuſtior Moſe.* III. *Libri antiquitas non infra Moſis ævum demittenda. Cui nihil præjudicant frequentes Chaldaiſmi.* IV. *Hypotheſis Warburtoniana longe diverſa: in gratiam Judæorum ex Captivitate reducum vult conſcriptum a Malachia, ſeu Eſdra.* V. *Ea variis argumentis refellitur. Imum argum. Quæſtio circa Providentiam, Hebræis ante Captivitatem ventilata ſæpe; eadem extra eorum Rempublicam quoque locum habuit.* VI. *Secundum arg. Jobus, gen-*

A tis

tis Judaicæ ſub Nehemia, typus parum idoneus. VII. *Tertium arg. Conſilio ſcriptoris, quale ipſi adfingit hypotheſis, narrata in fine inſtauratio Jobi adverſatur.* VIII. *Quartò, nil fere habet Allegoria Warburtoni niſi coactum & tortum. Convenientiæ umbratiles.* IX. *Ea, quibus adluai vult ad res Hebræorum, non aliud quam ingenioſa ſunt phantaſmata.* X. *Quintò, Non felicius in Elihui perſona Malachias quæritur.* XI. *Liber Jobi, morata Fabula, & quidem generis dramatici. Scopus, docere quàm homines cæcutiant, in inveſtigandis Providentiæ arcanis. Ænigma hic proponitur in præſenti vita ſolvendum. Unde futuræ hinc omnis, ſaltem expreſſa & diſerta mentio, abeſſe debuit, utpote a ſcriptoris intento aliena. Vera hiſtoria a ſuperſtructo Dramate diſtinguenda.* XII. *Quid differat Poëma noſtrum a ſimplici Parabola. Nulla huic ſimilior, quam quæ Lucæ XVI. legitur de Lazaro & Divite, ex hiſtorico aliquid trahens. Operis totius conſtitutio.* XIII. *Rationes quibus noſtra ſententia nititur. Prima, Sermones Jobo per univerſum librum adficti non reſpondent rebus de eo ab hiſtoria proditis.*

tis. XIV. *Secunda ratio, Orationis character ad ſcenam compoſitus, non ex vero ductus.* XV. *Tertia ratio, petita a deſcriptione calamitatum Jobæarum.* XVI. *Quarta, ex Amicorum immanitate parum credibili.* XVII. *Quinta ratio, ex Dei Sermonibus, Capp. a* 38vo. *ad* 41mum. *uſque deſumitur.* XVIII. *Ars hujus Poëmatis, & divinum conſilium.* XIX. *Hiſtoria quæ duo prima Libri capita implet, etiam tropis exornata, quod vetuſtiſſimis hiſtoriis ſolenne.* XX. *Diaboli ibi partes reales, etſi verbis captui noſtro accommodatis adumbratæ.* XXI. *Alia facta, haud dubie Hiſtoriæ vindicanda.* XXII. *Eidem pariter deputanda adagia, ſententiæ inſigniores, Oracula nonnulla, quæ ex vero prolata ore Jobi & Amicorum, fama recens ad Scriptorem pertulerat.* XXIII. *Inter quæ præſertim illud eminet Cap.* 19. *de liberationis a Deo conſequendæ fiducia.*

§. I.

DE Jobo, an exſtiterit unquam, quis fuerit, ubi locorum, aut quando vixerit; tum quo tempore liber ejus nomine inſcriptus lucem adſpexerit, quem-

ve auctorem agnoſcat; quo denique hic ſcopo intento, quove conſilio talem ſcriptionem inſtituerit; de his inquam omnibus, utpote, ſi primum excipias, obſcuris atque incertis, in diverſiſſimas Viri docti ſententias abeunt; quæ apud Frid. Spanhemium in eruditiſſima, quam concinnavit, *Hiſtoria Jobi*, & P. Danielem Huetium, *in Demonſtratione Evangelica*, late diſcuſſa legi poſſunt. Quum autem de obſcuritate harum quæſtionum loquor, primam reliquis eximendam cenſeo. Quod enim dubitarint aut negaverint nonnulli talem hominem unquam fuiſſe, & pro fictitia perſona habuerint, præterquam quod diſertis S. Scripturæ teſtimoniis, quæ hujus hiſtoriæ veritatem obſignant, palam adverſantur, eosque manifeſto redarguit ſimplex illa, quæ duobus primis atque ultimo libri capitibus continetur, caſuum Jobæorum narratio, paſſim, ſi qua alia unquam, genuinum hiſtoriæ characterem, & nativos Veritatis colores referens; præter hoc, inquam, ut ſic opinarentur, eò ſolum adducti ſunt, quod hunc librum Poëma quoddam, ſeu parabolicum ſcriptionis genus eſſe cenſuerint, infirmo ſane uſi argumento; cum nihil omnino vetet, imo antiquiſſimus id mos tulerit, a vera hiſtoria poëmatis & moratæ

Propos. IV. p.m. 220 & ſeq.

Ezech. XIV. 14. Jacobi V. 10, 11. V. Juriæum ubi infra p. 9.

ratæ Fabulæ argumentum peti. Quod Homerus Epopoeæ parens, & Tragici apud Græcos olim Poëtæ factitarunt.

§. II.

Tempus autem, quo ipſe Jobus floruit, quod attinet, de eo propter documentorum penuriam perpauca dicenda habemus. Si libri ſtilum ſpectes, qui ultimam antiquitatem redolet, atque inſuper cogites, nullam ibi legis a Deo datæ mentionem fieri, nullum Levitici cultus, aut rerum circa Iſraëlem geſtarum veſtigium vel leviſſimum deprehendi, nihil omnino quod Patriarcharum mores (*a*) atque ætatem non ſapiat, facile tibi perſuadebis (*b*) Scriptorem Moſi ſupparem, heroa vero ab eo celebratum, Moſe aliquanto ve-

Vide Scherlocku*ſ and intent of Prophecy*, Diſſert. II. p. 235. item Doct. Jurieu *Hiſt. des dogmes & des cult.* 1. part. Chap. II.

(*a*) Omnia ad Jobi antiquitatem facientia argumenta optime pertractat Spanhem. *Hiſtoriæ Jobi* Cap. IX. Burnetus etiam facit antiquiorem Moſe, *Archeol. Philoſ.* C. VI.

(*b*) Nihil refert, an diverſum a Moſe ſtatuas, Bileamum puta, Vatem toto Oriente inclytum, quem Judæorum traditio ſub Elihui nomine latuiſſe prodit: Seu cuipiam alii Prophetæ hunc foetum adſcribas, modo non ad inferiorem Moſaica ætatem detruſeris. Qui cum Spanhemio Davidis aut Salomonis ſæculo adſignant, dicant qui fieri unquam potuit, ut is liber nulla feriorum, quibus uti cenſent ſcriptus eſt, temporum, aut hominis ſub Judaica republica viventis, vel leviſſima det indicia? Adi Huetium & Juriæum locis

 ſupra

vetuſtiorem fuiſſe. His adde, Jobum cum amicis veri Numinis cultorem, veræ Religionis notitia imbutum, memorari; quæ ſatis late ante datam legem extra Abramidarum genus, ipſa Scriptura teſte, fuit diſſeminata; poſt promulgatam vero Legem, invaleſcente per gentes idololatria, ubique exſtingui cœpit. Ex quibus ſimul collatis, ſumma, tum Jobi ipſius, tum libri de ejus rebus conſcripti, antiquitas ſtabilitur.

§. III.

Nec quicquam in contrarium probari video ex frequentibus, quibus hoc opus ſcatere paſſim perhibetur, Chaldaismis; quaſi id ipſi longe recentioris ævi notam inſculperet, & ad uſque Judæorum in Babyloniam deportationis tempora demitteret; quo tam levi argumento ductos plures ex Eruditis miror in hanc ſententiam conceſſiſſe. Dic enim, quæſo, jam Abrahami ævo Chaldæi non exſtiterunt? Chaldaica lingua in uſu non fuit? Sic ut ex

ſupra laudatis. Quorum prior, Moſem libri Scriptorem cenſet; poſterior, Jobum ipſum conſcripſiſſe vult Arabico aut Chaldæo idiomate, poſt per Salomonem in Hebraicam linguam converſum.

ex Chaldeorum commercio aliquis Scriptor Hebero prognatus nativam dialectum nonnullo Arameæ colore infuſcare nequiverit? Jobus ipſe, licet natione Arabs, non vixit in Auſitide, terra Chaldeis contermina? Si vero Moſes, uti pluribus viſum, & quidem probabiliter ſatis, libri auctor ſtatuatur, quem in Madianitide apud Jethronem degens exaraverit, quam facile potuit fieri ut per quadraginta integros annos exul a ſuis, dum regionem incoleret Meſopotamiæ vicinam, ubi Chaldaicus ſermo erat vernaculus, gentilitiam dialectum aliqua peregrinitatis labe adſperſerit; quam ipſe poſtmodum cum ſubſecutis Prophetis, qui ſacrum Canonem uſque ad captivitatis tempora explerunt, florentibusque Hebræorum rebus ſcripſerunt, penitus excuſſit. Profectò ut operis vetuſtati nihil derogant ejusmodi indicia, ſic eam contra magno opere commendant argumentum ipſum, antiquiſſimi moris ubique expreſſus character, & archaïcus ille compoſitionis tenor, quem mente citius capias, quam verbis explices.

§. IV.

Verumtamen ſi Warburtonum audiamus, *Divine Lega-*

tion of Moſes demonſtrated Book VI Sect. 2. p. 485. &c. mus, is nobis alia omnia ſuadebit. Quem doctiſſimo ſuo, de divina legatione Moſis, tractatu, ſpecioſam ſatis, circa Jobi librum, pro eo quo pollet ingenio, hypotheſim adornaſſe fatendum eſt; non prorſus quidem novam, ſed ſcite interpolatam, & haud ſpernendis additamentis locupletatam. Ac primo, quod hunc nihil aliud quam parabolam eſſe cenſet, veræ vetuſtiſſimæque de Jobo hiſtoriæ ſuperſtructam, in eo nos facile adſentientes habebit. Sed enim contendit præterea, in gratiam Judæorum e Babylonica captivitate reducum concinnatam fuiſſe a Propheta quodam, eo conſilio, ut cives ſuos, in tenuibus reviviſcentis reipublicæ primordiis ad ſummas anguſtias redactos ſolaretur. Sub Jobi perſona ſcilicet, adumbrari putat populum Judaicum, a vicinis ſub amicitiæ ſpecie multa acerba paſſum, atque ægre inter multas ærumnas ſpiritum trahentem; quamvis jam ad obſequium divinarum legum ſe dudum compoſuiſſet, & inſtaurato divino cultu, idolis æternum valedixiſſet; ſic ut immeritò, nulliuſque culpæ reus, tot mala perpeti videatur. Scopum vero Scriptoris præcipuum docet Vir eruditus in eo ſitum eſſe, ut cives ſuos, ſpecialis providentiæ ſupernaturali regimini huc uſque ad-

adſuetos, ubi proſpera & adverſa ipſis tribui ſolebant, prout officii aut bene aut male geſti ratio poſtulabat, moneat in poſterum generaliori Providentiæ diſpenſationi, cui deinceps ex æquo cum reliquis populis eos ſubjectos vult Deus, lubentes acquieſcere; ubi bonis ſæpe adverſa, malis contra paſſim ſecunda omnia, ex abſconditis Sapientiæ rationibus, obtingere cernimus.

§. V.

Nec ipſi deſunt colores, ſedulo quæſiti, quibus ſuam hypotheſin, prima fronte ſatis adblandientem, conveſtiat. Verum ſi paulo eam ſeveriori examine indagaris, quam ſit precaria, quam parum ſecum ipſa conſentiens, & hiſtoriæ Judæorum congruens, quam nullo ſatis firmo tibicine nitatur, ſtatim deprehendes. Nam ut inde incipiam, quod pro indubitato principio Warburtonus aſſumit, quæſtionem illam de Providentia, num ſcilicet æquabiliter ſe gerat, nec ne; num diſcrimen probos inter & improbos, in diverſo utroſque tractandi modo, conſtanter ſervet, ventilari non potuiſſe extra Judæorum rempublicam, neque ea ſtante unquam locum habuiſſe, niſi poſt redi-

tum a deportatione Babylonica, id gratis, nec ſine manifeſto errore aſſeritur. Videmus enim Davidem (a) multis retrò ſæculis, de impiorum, qui ipſum hoſtili animo inſectabantur, omnique contumeliarum genere exagitabant, proſperis rebus, acerbas fundere querelas. Nec abſimile vero eſt, pios non paucos ſimilia queſtos, vigente Hebræorum θεοκρατίᾳ, cujus æquabile regimen, ad juſtitiæ nempe diſtributivæ leges exactum, univerſæ gentis ſortem potius, quam ſingulorum hominum privas fortunas ſpectabat. Quo minus mirandum eſt, ſi ante Judaicam rempublicam conſtitutam, apud priſcos Arabes, quibus piorum, quos perenni felicitate Deus beaverat, exempla bene multa ob oculos erant, nonnulli reperti ſint, qui calamitatem infandam alicui ſubitò ingruentem, in argumentum occulti ſceleris, quo ſe is obſtrinxiſſet, fidenter traherent. Quale judicium de Paulo Melitenſes tuliſſe narrat Lucas in Apoſtolorum actis.

(a) *Et ſi Davide idem poſterior, neſcio an calamitatis piorum tam illuſtre in optimo Rege exemplum, quo omnia Amicorum tela vel frangere potuit, vel obtundere, tranſiviſſet Jobus ſicco pede.* Spanh. Hiſt. Jobi Cap. VIII. 101

§. VI.

§. VI.

2. Nihil ab omni ratione alienius excogitari potuit, quam ſi Jobus nationis Judæorum, ſub Nehemia inſtauratæ, typus conſtituatur. Profecto haud temere animum inducas res inter ſe componere, quæ ab invicem diſcrepent magis, & δὶς διὰ πασῶν diſſonent. Nimirum in Jobo Sacer Scriptor nobis exhibet Virum integerrimum, inculpati moris, ab omni ſcelere aut inſigni labe immunem; ad hæc Divini Numinis cultorem acerrimum & conſtantiſſimum; qui tamen, ſic volente Deo, infanda patitur, iiſque tunditur plagis, quas vix in flagitioſiſſimos nebulones cœleſtis vindicta incutere ſolet. Inde ſumma apud Jobum æſtuantis animi perturbatio, qui, quoquo ſe vertat, cauſas cur ita ſævum Deum experiatur, indagare nequit. At plane contrarium apparet in Judæis è captivitate redeuntibus, qui meritas ſe pœnas ob multifaria peccata luere palam profitentur. Fruſtra cum Warburtono regeres, illos equidem in ſervitute Babylonica idololatriæ juſtas pœnas dediſſe; at ſecus ſe rem habuiſſe, quando in patriam reverſi, peregrinis ſuperſtitionibus abjectis, ſeſe totos ſeriò ad

ad Deum contuliſſent. Certe ſi levi tantum oculo perluſtretur liber Nehemiæ atque Eſdræ, patebit quot adhucdum nævis ac corruptelis, qua vitiorum farragine univerſa laborarit Judæorum natio. Ne forte excipias privatam paucorum culpam fuiſſe. Eos ibi multifariam agnoſces Legis violatæ reos, in peregrinarum mulie-
Nehem. Cap. V. & XIII. rum connubiis, in manifeſta violatione Sabbathi; in dura & immiſerabili erga tenuiores fratres divitum inclementia, dum eos agris, domibus, bonis ſpoliabant, ab iis credita immiſericorditer repetebant, uſuris eos immodicis exſugebant, modis omnibus vexabant atque expilabant. Ipſos habes confitentes reos; cum haud ſemel ſolenni apud Deum de-
Eſd. X. 2. Nehem IX. & alibi paſſim. precatione, quam ore Nehemiæ & Eſdræ univerſus edit populus, multiplicia commiſſa deflet, nec præterita mala tantum, ſed præſentia ſe ſummo ſuo merito pati, in cilicio & cinere demiſſiſſime confitetur. Vide ſis, quanta cenſuræ acrimonia Prophetæ, Zacharias, Haggeus, Malachias, ipſis mores eorum exprobrent. Quibus aculeis profanum tunc temporis Judæorum animum, avaritiam, legis contemptum, ſuperbiam, perfidiam exagitent, cætera vitia quam atris coloribus expingant. Agedum, Clar. Warburtonus nobis expediat,

diat, ſi poteſt, quî populus iis moribus vivens, ea indole præditus, talis ſit, qui ſub typo Viri integerrimi, virtutibus inclyti, cujusque infortunia providentiæ divinæ juſtitiam tantum non facere dubiam videntur, ullatenus adumbrari poſſit.

§. VII.

Tertio quodam, eoque haud levi, Warburtoniana hypotheſis premitur incommodo. Ibi nempe allegoria tam parum ſibi conſtat, ut quem præcipuum ſcopum Scriptor in caſu Jobi enarrando intendiſſe fingitur, ipſamet quam refert hiſtoria evertat. Enimvero conſilium Scriptoris in hac Parabola fuiſſe perhibet, ut Judæi, ab usque ſuæ reipublicæ primordiis, Theocratiæ, adeoque æquabili quam vocat Providentiæ ſubeſſe dudum aſſueti, ubi conſtantiſſimo tenore ſua virtuti & pietati præmia, meritæ itidem impietati & ſceleri pœnæ rependebantur; ut inquam Judæi, cum jamjam deſitura eſſet ſupernaturalis regiminis Oeconomia, generalibus, queis reliqui per univerſum orbem homines continentur, legibus adquieſcere æquo animo diſcerent, quæ promiſcuam proſperorum adverſorumque viciſſitudinem inducunt, nullo conſpicuo ſatis

ſatis ad pietatem impietatemque reſpectu habito, divinive fœderis ſtudium aut neglectum. At cum tali ἐπιμυθίῳ ex adverſo pugnat ſplendida illa ex inopinato fortunarum Jobæarum in melius converſio; unde Judæos, ſi de iſtis mutato nomine narrari fabula cenſenda eſt, expectare par fuit collapſarum rerum mirificam quandam inſtaurationem, imo ſtatum aliquem, quam ſub Davide & Salomone olim experti fuerant, longe florentiorem. Quam ſpem nihilominus, ſi ea ſe lactaſſent, uti eventus feſellit, ſic præterea manifeſtum eſt ad Theocratici regiminis indolem pertinuiſſe; quod tamen ſtatim a reditu Captivitatis abolitum, ipſe contendit Warburtonus.

§. VIII.

Supervacaneæ nunc operæ fore judico, ſi leviculas rationes ſigillatim excutiam, quibus Vir cætera perſpicaciſſimus, & acris ad verum eruendum ingenii, allegoriam ſuam incruſtat, & probabilem reddere conatur, ex evanidis ni fallor adluſionibus, & tenui admodum ſimilitudinis colore petitis; adeo longe quæſita, torta de induſtria, & vi quadam in rem ſuam tracta introſpicientibus apparebunt. Hujusmodi eſt uxor Jobi, qua peregrinas mu-

mulieres, quas ſibi Judæi per ſummum Legis contemptum deſponſarant, adumbrari cenſet; non alia ratione interpretationem fulciens, quam quod ſtultis ſimilia loqui a marito perhibeatur. Item de Tribus viris Sophare, Bildado, Eliphaſo; quibus deſignari ait Cutheorum tres itidem duces, Samballatum, Tobijam, Gueſemum Arabem, rebus Judæorum infenſos, ſubdole tamen agentes, & ſub amicitiæ titulo ſaluti eorum inſidiantes. Qualis autem, quæſo, inter utramque rem apparet convenientia? (*a*) cùm Jobi ſodales amicum palam accuſent, & in os vituperent, dum contra Judæorum Vicini ſubdole & tecte agunt, blanda amicitiæ ſpecie illudentes, ut eos interea apud Perſarum regem ſuſpicionibus premant, eorumque occulte ruinam machinentur. Præterea nemo non perſpicit falſa, quæ Jobo impinguntur crimina, veris ſignificandis, quibus ſe Judæi illigaverant, parum apte adhiberi potuiſſe. Ut ne iterum repetam modò a me obſervatum, ex ea diſcrepantia plane typum everti. Tum illa apud τὸν μέγαν βασιλέα calumnia nihil com-

(*a*) Eadem fere, quâ plura de Hercule in Poëtarum fabulis decantata, ex Jobi caſibus deducta vult Spanhemius L. C. Cap. XV. §. 15.

commune habuit cum Trevirorum accuſatione, qua Jobus apud Deum reus peragebatur. Porro quàm umbratilis eſt inter Satanam, qui Jobum apud divinum tribunal hypocriſeôs inſimulat, & eundem in viſione Zachariæ ad Jehoſchuæ Sacerdotis latus ſtantem, ſimilitudo! Quid Darii edicto, quo Ducibus tranſamnatibus imperat, ut ſufficiant Judæis Hieroſolymitanis victimas in ſacrificia, quid ei inquam commune eſt, cum ipſius Dei mandato apud Job. Cap. XLII. ut Treviri ſeptem capiant tauros, totidemque arietes, quos pro ſe in holocautoma offerant. Plura excerpere piget neque etiam eſt opus. Meras hic habes delicias ingenii propriis nimium conjecturis lenocinantis, mera æſtuanti phantaſiæ oblata meteora, quorum ope quamcunque comminiſci libuerit hypotheſim oblinere facile eſt; minime vero aliquid probabile, nedum ad liquidam veritatis demonſtrationem perductum conficere.

§. IX.

Ejuſdem cenſendæ commatis (*a*) alluſiones

(*a*) Has jam pridem difflavit Spanhemius, oſtendens ambiguis locis niti, iisdemque varie admodum lectis & redditis. *Hiſt. Jobi* C. VIII. 16.

ſiones frequentes, quas in noſtro Libro Vir doct. ſibi deprehendere viſus eſt, ad Leges & hiſtorias Moſis. Quas ſi minutatim perſequaris, tam exiles ſunt, ut pœne oculos fugiant, nec cujuſquam mentem advertant, niſi quis ea, dedita opera ad alicujus ſyſtematis dilecti fulcimentum anxie conquiſiverit. Quod autem id objicientibus, ut antiquiorem libro originem adſerant, ſatis occurrere ſe putat, & abunde ſatisfeciſſe, dum obſervat Scriptorem ſic de induſtria egiſſe, Decori nempe memorem & regularum artis, ut ſæculo Jobæo, unde poëmatis materies ſumpta, omnia adcommodaret, & ſimul tamen Judæorum res trans allegoriæ velum præcipue ſpectari ſubmoneret; videat, ne argute magis, quam ſolide, ratiocinatus comperiatur. Quas enim ex Jobo ſtricturas profert, quaſi iis ad Hebræorum fata recte adluderetur, adeo obſcuræ ſunt & evanidæ, ut longe proclivius ibi ſit, in Interprete luxuriantis, ſibique faventis phantaſiæ luſum agnoſcere, quam ſtudio obtectum aliquod in Scriptore conſilium.

§. X.

Non minus fundamento caret, dum de

Elihuo, qui adverſariorum ultimus cum Jobo congreditur, ipſum libri ſcriptorem facit, eundemque vult eſſe cum Ezdra aut Malachia, cives ſuos ſcilicet ſub ementita perſona eorum officii admonente; unde fiat ut ſolus inter Jobi amicos non increpatus a Numine legatur; utpote qui non niſi recta, & ad Dei mentem exacte diſſeruerit. Nam ut jam omittam, hanc conjecturam ex earum videri numero, quæ eodem jure rejiciuntur, quo in medium ſunt adlatæ; id præterea incommodi habet, quod ambiguitatem parit haud parum culpandam, & ſupervacaneas plane reddat Elihui partes in Poëmate. Id enim unum operoſa oratione agit, quod ipſe Poëmatis auctor univerſo operis tractu agere cenſendus eſt. Ut jam non addam Elihuum, quamvis lenius cæteris rem tractarit, iniquiorem nonnunquam in Jobum animum prodere, & juſtæ caſtigationis metas transgredi; quod in Prophetam, qui Dei juſſu Judæos hac ſcriptione compellaret, neutiquam potuit quadrare.

Ex dictis liquet nihil quicquam obſtare, quo minus exploſis allegoriarum præſtigiis, huic libro primævam, quam ſibi ſuo jure vindicat, antiquitatem tribuamus.

§. XI.

§. XI.

Nunc vero tempus eſt ut meam de divini operis indole & conſilio ſententiam expromam. Hunc librum, ſi defæcato præjudiciis animo ad ejus lectionem te contuleris, deprehendes, niſi me mens vehementer fallit, meram parabolam, ſeu moratam Fabulam eſſe, ubi vera quidem illuſtris cujuſdam Viri hiſtoria pro fundamento ſubſternitur, unde ſacer Scriptor, quisquis tandem is fuerit, materiam cepit Poëmatis. Alia autem ſubjacentis hiſtoriæ, alia Poëmatis ſuperſtructi ratio. Ex nuda hiſtoria, ſi rem uti geſta eſt, ſimpliciter accipimus, fructus decerpitur non exiguus. Docemur nempe Jobi exemplo, primum res adverſas, quin & acerbiſſimas calamitates, æquo animo eſſe ferendas, utpote immiſſas a ſapientiſſimo Numine: nefas eſſe divinis decretis obmurmurare aut reluctari: nunquam ſpem & fiduciam, quam in Deo repoſuimus, abjiciendam; ſed patienter exſpectandum, donec ipſe nos ex anguſtiis liberet. Inde etiam 2do loco, diſcimus Deum piorum providam curam gerere, eosque poſtquam variis ærumnis ad tempus exercuerit, modo ipſi officio non deſint, certo

certius liberaturum, eorumque virtutem malis exploratam, ſplendidis præmiis remuneraturum. Sed quando ex tali hiſtoria S Scriptor Poëmatis, & quidem dramatici, quo variæ perſonæ confabulantes inducuntur, argumentum deſumpſit, ſpecialius ipſi, & ab hoc generali uſu diverſum conſilium fuiſſe puto; oſtendendi ſcilicet ex quinque amicorum inter ſe concertationibus irritis, in vera indaganda calamitatum, quibus Jobus conflictabatur, cauſa, Providentiæ divinæ vias & rationes ſic abditas eſſe, & ſupra humani ingenii captum poſitas, ut nos longe ſatius ſit noſtram ignorantiam faſſos, iis acquieſcere, quam eaſdem irrito conatu ſcrutari velle: Et præterea docendi, per inexſpectatum feliceinque qui conſequitur exitum, eadem Providentia res ſic adminiſtrari, ut cum illi libuerit ex iſto velut ſacrario prorumpere, omnes in admirationem ſui raptura ſit. Vides jam ethicum illud documentum, quod ex everſione ſubita fortunarum Jobi, earumdemque ſtupenda inſtauratione deſumitur, ſcopum eſſe Poëmatis, cujus tota œconomia ad illum conformari debuit. Vides porro alterius vitæ mentionem huic ſcopo alienam fuiſſe. Nam poſita ſemel exſpectatione vitæ melioris, Providentia in piorum præſentibus æru-

ærumnis haud ita magno negotio defendi poteſt. At Poëmatis ratio poſcebat, ut nodus aliquis humanæ Sollertiæ inexplicabilis proponeretur, a ſolo Deo per exitum incredibilem, neminique exſpectandum reſolvendus, & quidem in hac præſenti vita. Unde facile perſpicis futuræ vitæ mentionem, quæ ſicubi in dialogo exſerte occurreret ſcriptoris intentum plane fruſtraretur, conſulte & provide ipſi omiſſum iri. Nihil tamen id prohibet paſſim a dramatis actoribus ea proferri, quibus tacite & velut ex obliquo tale dogma innuatur. Sufficit diſerte non memorari, aut in eo vexatiſſimæ quæſtionis enodationem non quæri, καταστροφῇ, quæ in fine libri legitur, reſervandam.

§. XII.

Cæterum, Jobi librum fabulæ dramaticæ titulo inſignire malim, quam ſimpliciter Parabolæ. Parabola enim ex ſolemni uſu vocitatur is ingenii foetus, ubi omnia ad auctoris libitum conficta, cùm Drama ex adverſo, cui veræ hiſtoriæ argumentum præbere ſolent, hominum, qui reapſe in terris fuerunt nomina non tantum, ſed facta cum præcipuis circumſtantiis, rerumque geſtarum ſummam exhi-

beat; quibus tanquam phrygionico opere ſubtexuntur artificioſæ Poëtæ inventiones, ſcopo totius operis congruentes. Quod ſi tibi omninò placuerit librum noſtrum Parabolam nuncupare, cum nulla conferri melius queat, quam inſigni illa de Lazaro & Divite, quæ apud Lucæ Evangelium
Luc. XVI. legitur; cujus occaſionem ex egeni cujuſdam & divitis reali, forte etiam recente pervulgataque apud Judæos hiſtoria, Dnus Jeſus videtur ſumpſiſſe. Non enim de nihilo eſt, quod Lazarum nominatim appellavit, contra ac ipſi mos eſt in cæteris hujusmodi apologis. Quod autem nomini beati illius epulonis pepercit, id forte factum ex cognatione eum attingentium reſpectu, ac ſolita Soſpitatoris indulgentia, ne hominis vulgo noti multiplicibusque neceſſitudinibus innexi memoriam infamaret, eique tanquam æternum apud inferos damnato, haud abſtergendam maculam inureret, quod in ſolo Juda proditore eum feciſſe legimus.

Sic habendum igitur. Pauper, nomine Lazarus, ulceribus obtectus, & fame propemodum enectus, jacebat ad fores divitis cujusdam e Sadduceorum ſecta, laute viventis, & genio indulgentis; qui ſplendide veſtitus, dies & noctes exquiſitiſſimis epulis continuabat, mollitie, luxu,

luxu, corporeisque omnibus diffluebat deliciis; parum interim de anima ſollicitus; futuræ autem vitæ præmia & pœnas pro meris habens delirantium ſomniis. Contigit utrumque intra breve tempus ſuum diem obire. Et pauper quidem, mutatis vicibus, in beatorum ſedes receptus eſt, dives autem ad orcum detruſus, & tartareas pœnas. Huc uſque vera amborum procedit hiſtoria. At inde Chriſtus anſam arripuit colloquii Abrahamum inter & miſerum Divitem inſtituendi, quod ſpeciem dramatis cujusdam refert. Eo autem conſilio id fecit, non tantum ut doceret, ubi genuina quærenda ſit hominis beatitas, & diverſam hominum poſt funera ſortem adfirmaret, prout pie aut flagitioſe hanc mortalem vitam egerint; ſed præcipuum in modum ut oſtenderet, ſatis ſuperque lucis & auctoritatis habere Prophetarum ſcripta, ad Sadduceorum impietatem revincendam; neque ullam peccatori ſupereſſe, divinum judicium ſpernenti, pervicaciæ ſuæ excuſationem.

Pariter in Jobo crediderim divinum nobis Poëma exhiberi, (*a*) proprie *δράμασιν* ac-

(*a*) Leve eſt, quod huic ſententiæ Spanhemius objicit L. C. Cap. I. 6. Dramaticum genus recentius Græcorum inventum fuiſſe: Quaſi vero Tragœdia, currente

accenſendum, quamvis de Epico aliquid trahat; ex vera, quæ ordine narratur duobus primis capitibus atque ultimo, Jobi hiſtoria ductum; qua nulla lectu utilior poſteritati commendari potuit. Nempe quæ* Viri, ſupra quàm dici poteſt probi & pii, in ſummis miſeriis conſtantiam & μακροθυμίαν, ſeu animi ſemper lenitatem ob oculos ponit. Atque inſuper divinæ erga nos providentiæ τὸ ἀνεξιχνίαστον abunde docet. Prius exſequitur Scriptor S. nuda facti narratione: poſterius vero ex Jobi amicorumque, quos velut in ſcenam productos, inter ſeſe colloquia miſcentes fingit, variis concertationibus, fuſiùs deducit, & uberiùs tractat. Opus facile ad Tragici, qualis per Græcorum Theatra celebrabatur, Cothurni normam exigendum, ſi in proſcenio Prologus primum inducatur, quicquid primis duobus capitibus comprehenſum, enarraturus: deinde

rente demum Olympiadum æra apud Græcos exorta; longe vetuſtius apud orientales gentes exemplar habere non potuerit. Exemplo erunt Sinenſes, qui ante ter mille annos Duhaldio teſte, Dramaticam artem excoluere. Vide ſis Drama nuper ex Sinenſi lingua in Gallicam converſum, cui titulus, *Tchao chikoueulh*, ſive *Pupillus e domo Tchao*, ductum ex hiſtoria vera in Sinenſium annalibus prodita, quæ ſexcentis ante æram Chriſtianam annis contigit, atque ex ſyntagmate, quod centum ejusmodi complectitur, depromptum, cui nomen *Yven-ginpetchong*, quæ omnia ſub dynaſtia Genghiskanidarum exarata,

de ipſe Jobus in medium prodeat, ſua deflens infortunia, amicis mox interpellantibus; ſicque perplexas cum ſingulis viciſſim diſceptationes alternet, donec in fine Deus conſpicuus factus, e cœlo judex appareat, cunctos erroris arguens, & felici peripetia tum ipſum Jobum liberet, tum Numinis ſui majeſtatem & æquitatem ſummam ab ignorantium obtrectatione vindicet.

§. XIII.

Cur autem communem ſententiam deſeramus, quæ fert Librum integrum a capite ad calcem meram continere rei geſtæ relationem, ubi Jobi amicorumque inter ſe conſerti ſermones, prout revera habiti ſunt, hiſtorica fide redduntur; ac potius contra, quæcunque a Cap. tertii initio ad quadrageſimi primi finem exſtant, nihil aliud niſi fictionem Vatis θεοπνεύςυ parabolicam eſſe ſtatuamus, plurimæ nobis eæque maximi momenti rationes ſuppetunt.

1. Id ante omnia probe adverti velim, ſi illa colloquia, quæ longe maximam totius operis partem implent, ad veram Jobi hiſtoriam pertineant, ea oportet narrationi duobus prioribus capitibus ex-

hibitæ undecunque congruere, ſic ut ex ea veluti naſcantur & effloreſcant, notisque ante rebus, perſonarumque indoli reſpondeant. At hujus plane contrarium accidit. Et ut a Jobo exordiar, is qui ſecundo capite narrabatur ea egiſſe & prolocutus eſſe, quæ invictam in mediis ærumnis conſtantiam arguunt, mox Capite tertio tantum ab illo mutatus, ſuique oblitus deprehenditur, ut in miſeras ejulationes, imo diras horribiles erumpat, natalem ſuum ferali carmine deſigat, ſeque in lucem nunquam editum fuiſſe deſperabundus exoptet. Dein increſcente animi motu, affectuque doloris magis ac magis exæſtuante, ipſum Numen in jus vocare non erubeſcat, inique ſecum agere palam affirmet, æternæ denique providentiæ fidem concutere velle videatur. Vide num talia ſibi invicem conſentanea, adeoque probabilia dixeris. Verum iſte non levis tolletur ſcrupulus, omnisque adeo difficultas amovebitur, ſi duo in univerſo opere accurate diſtinguas: quod mere hiſtoricum eſt ſcilicet, a dramatico. Hiſtorica mera, illuſtre exemplum fortitudinis in malis, manſueti animi, atque invictæ patientiæ exhibent. Cætera quæ Vatis arte concinnata, & tragicum, imo dithyrambicum ſpirantibus figuris exornata,

nata, eo pertinent ut doceamur, quantum mortalium mentes, licet veræ ſapientiæ lumine aliquatenus colluſtratæ, in divinis operibus dijudicandis cæcutiant. Ibi non amplius Jobi patiens animus, ſed anxia de arcanis divinæ circa ipſum œconomiæ rationibus ſollicitudo eminet, quas inveſtigare nititur, quamquam irrito conatu. Unde aperte ipſum Omnipotentem accuſat, & aditum ſibi ad cœleſte ſolium dari poſtulat, eò querelas ſuas delaturus. Ne igitur mireris, quod tertio capite Jobus impatientiæ haud obſcura det ſigna, ſibique parum conſtare videatur. Qui nempe fundi ſui calamitatem, meſſes incendio conſumptas, abactos greges, bona omnia latrociniis expilata, quin & natorum acerba funera forti animo tulit; qui fœda lue exulcerati corporis dolores toleravit, qui impotentis mulieris aculeata dicta leni reſponſo eliſit, qui Dei manum immiſericorditer ſævientem pronus adoravit, is nunc ſubito animum immutatus, natalem ſuum exſecratur, & diris exquiſitiſſimis devovet. Nodus facile expediendus, modo nobiſcum ſtatuas, ab his demum diris dramatis principium fieri; inde jaci ſemina mox dicendorum ab increpantibus Amicis, & ſermonibus deinceps ultro citroque jactatis, ſic materiam præberi; ubi non

non agitur amplius de patientia Jobi in exemplum commendanda, ſed divina gubernatio ab impiorum cavillis vindicanda ſuſcipitur.

§. XIV.

2. Dubitas adhucdum in ſententiam noſtram deſcendere! ſermonesque illos omnes vere habitos, & Scripto fideliter mandatos pertendis? Eja! dic ſodes, num tibi credibile fiat, miſerum hominem mœrore confectum, ac morbo ſuperincumbente jam abſumptum & ſeminecem, eum inquam, velut pro concione diceret, ſermones adeo longos, tanto apparatu, tanta copia, tot figurarum luminibus diſtinctos, tot poëticæ favillæ ſcintillis intermicantes, quin & metri legibus adſtrictos (nam vorſam orationem eſſe qui non ſentit, nihil ſentit) cum familiaribus habuiſſe! eos ſimiliter amico reſpondentes pari tenore peroraſſe? Hæccine ſunt colloquia decumbentis amici lectulo aſſidentium? Haud facile hæc concoquenda. Quin tu potius, ſi ſapis, veram de Jobi caſibus, inſigni in malis patientia ac illuſtri tandem in integrum reſtitutione hiſtoriam, in principio & fine libri conſignatam, ſimpliciori præ reliquis & pedeſtri ſermone,

cuique varia librorum ſacrorum loca luculentam fidem faciunt, a parabola huic ſuperſtructa diligentiſſime ſecernes. Exiſtimabis igitur quod vere res eſt, Jobum, virum inter Arabes principem, nec magis opibus quam virtutibus inſignem, a Diabolo, id ſinente, imo volente Deo, quo explorata virtus illuſtrius ſui documentum ederet, quovis ærumnarun genere vexatum fuiſſe, fortunisque exutum omnibus, quin & exquiſitis corporis doloribus cruciatum. Ei; cum ab amicis ſolatia allaturis inviſeretur, in malorum id culmen acceſſiſſe, ut ſiniſtras de ipſo ſuſpiciones foverent, quaſi juſto Numinis judicio arcani cujusdam flagitii pœnas lueret. Inde dubio procul varii illinc ſodalium accuſantium, hinc ipſius ſe ſtudioſe purgantis, & propria innocentia aſſerta ſortem miſeram indignantis, ſermones exorti ſunt, qui dramati huic occaſionem præbuere. Nec video cur abſurdum cenſeri debeat, aut morato Scriptori indecorum, veris rebus, quas ad diſciplinæ uſum vertere intendit, ſictos ſermones adtexere; cum ſolenne id ſit apud bonos auctores, nec culpetur in Livio, Salluſtio, Dione, Dionyſio Halicarnaſſenſi, aliisque rerum geſtarum Scriptoribus, quod orationes ab ingenio protectas narrationi inſerant,

ſerant, quæ mentem tantum & ſenſum referunt vere prolatarum. Quod ſi hiſtoricis, quos religioſius factorum veritati adhærere decet, ea venia conceſſa fuit, quidni illud potiori jure liceat parabolicam ſcriptionem inſtituenti? Neque id præjudicabit quicquam ſermonibus, quos hiſtoriæ ſacræ paſſim intertextos legimus, quaſi inde eorum laboraret fides; cùm aliud plane negotium ſit auctoris ſacri meras hiſtorias ſimpliciter ſcripto referentis, ac dicta hominum, haud ſecus atque facta, ut revera fuerunt, quaſi ſub teſtibus conſignare profitentis, quam ejus qui דבור משלי concinnat; ſententioſa dicta, aut ethicam diſputationem longa ſerie continuatam, certarum perſonarum ori indens. Alia quoque legum a Deo latarum ratio eſt, aut ubi Prophetæ cœleſtia edunt oracula; quæ verbatim, dubio procul, ut ab eorum ore profecta ſunt, litteris conſignari oportuit.

§. XV.

3. Si quæcunque infanda perpeſſus eſt Jobus, ipſum Cap. XXXmo. commemorantem audias, ea ejusmodi ſunt, quæ longius valde temporis ſpatium poſtulant, quam a rerum Capite primo narratarum initio,

tio, ad Triumvirorum adventum uſque effluere potuit. Omni igitur veri ſpecie caret, tales ſermones fuiſſe prolatos a Jobo; tanquam revera jam expertus eſſet, quicquid flebilis hujus capitis querimonia complectitur. Repugnat manifeſto hiſtoriæ tenor, rerumque geſtarum ſeries. Quippe ea non exiguum temporis intervallum requirunt, quod S. Scriptoris narratio interceſſiſſe non patitur. Statim enim atque infandæ calamitatis fama Amicorum (*a*) aures perculiſſet, propere accucurriſſe credibile eſt, ut ægrotantem inviſerent, & afflicto condolerent. Quod fecerunt quoque,

(*a*) Fruſtra contendit Spanhemius L. L. Cap. X. haud cœpiſſe amicorum inſultus in ipſo malorum exordio; longius temporis ſpatium intercedere debuiſſe cauſatus, antequam caſum miſerabilem reſciſcere, reque ſecum invicem per nuncios communicata, ac certo tempore indicto, ad Jobum accedere potuerint. Nec enim tantas moras tulit, aut gentilitiorum ſatis ex propinquo incolentium vicinia, quam viciniam ipſe Spanhemius, dum ſedes amicorum Jobi inveſtigat Cap. XIV. ſatis comprobat; aut caſûs acerbitas, aut innatus erga Jobum amor. Quas vero amplius ex Jobi ipſius ſermonibus petitas rationes adfert, eodem pacto reſolvuntur, quo Cap. XXX. querimoniæ, de quibus an omnino cum Cap. 2di. narratione componi queant, ipſiſſimum eſt τὸ κρινόμενον. Ea certe aliquot dierum tantum interſtitium requirit, quod ſufficiens minime fuit, ut cunctis eo capite memoratis daretur locus. Quid, quod ſibi haud ſatis conſtans Vir doct. agnoſcit Cap. XI., quum cognati acceſſiſſe dicuntur Job. XLII. condolendi animo (ſic enim illud per ὑστερολογίαν accipit) fuiſſe adhucdum recentem famam malorum.

que, per ſeptem integros dies luctuoſo ſilentio transmiſſos. Reliquum tempus continentibus ſermonibus inſumptum. Quis interea locus perditiſſimorum nebulonum, miſera Viri ſanctiſſimi clade exſultantium, ſannis, triumphis, contumeliis, quibus ſe undique, nec ſemel impetitum queritur. Nugas agunt enim qui hæc in Tres viros intendi putant, homines certe tum ſapientia, tum dignitate ſpectabiles. Quid enim ejusmodi viris cum tenebrionibus, & impudentiſſimis quos hîc expingit Jobus maſtigiis commune? Ut merito demirer tam abſurda cuiquam in mentem venire potuiſſe. Nec hilum proficis, ſi dicas hyperbolica exaggeratione uſum Jobum, aut ſic locutum ex veriſimilitudine & conjectura. Imò vero indubitata debuerunt eſſe, & uſu comprobata, quæ vir infeliciſſimus ſibi contigiſſe tanquam juratus adfirmat. Vide igitur num hæc potius Cothurno aptata cenſeri debeant, & ad Dramatis, παθος incendendum a Poëta inventa, ut perſonæ Jobi inducerentur. Omnes, ni fallor, quibus id genus ἐποποίας perſpectum eſt & intellectum, inde haud leve ad noſtram ſententiam momentum accedere ſentient.

§. XVI.

§. XVI.

4. Jam Amicorum trigam intuere, qui dolore ex caſu Jobi accepto impulſi, pro tenerrimo caritatis adfectu eum humo adflictum ſublevaturi adveniunt, & per integros dies ſeptem taciti ægroto adſident, in teſtificationem ingentis luctus. Unde factum dices, ut temporis puncto mutati, hoſtilem adverſus eum animum induant? neque objurgent ſolum, ſed convitiis onerent, & manifeſtiſſimis inſectentur calumniis. Quo vero illos inauditi exempli furore correptos exiſtimabimus, qui quem coluerant hactenus, & ob vitæ integritatem & excellentiam virtutis, pro merito dilexerant, eundem jam arcani ſceleris reum peragere non dubitent, atque nullo indice, veſtigio aut teſte nullo, facinorum, a quibus ejus vita & conſuetudo ſemper omnis abhorruerat, palam poſtulent. Ipſo autem factum deteſtante, & ſuam innocentiam conſtanter tuente, nihilominus accuſare ad ultimum obſtinent. Id certe ſi de veris Jobi ſodalibus accipiatur, omni veriſimilitudine caret, imo omnes impudentiæ limites egredi judicandum eſt. Aliter longe Joſephum erga fratres, etſi immanis in ſe perfidiæ

reos, adfectum fuiſſe, aptiſſime hoc loco obſervat doctiſſ. Warburtonus. Ibi ſcilicet veras naturæ voces pectore ab imo erumpere cernis. Dum ex adverſo Jobi familiarium durus quem produnt, atque atrox animus plane contra naturam eſt. Sed vero ſi perſonatos intelligas in fabula ſic agere, nil miraberis, Poëtæ conſilium ſemel adſecutus, atque ſimul obſervato, dramaticæ fabulæ ſimpliciorem ac minus artificioſam priſcis illis temporibus conſtitutionem fuiſſe; quod genus ſenſim poſteriorum ætatum ingenia novis inventis regulis perpoliverunt.

§. XVII.

5. Poſtremo ſi Dei ſermones, Capite XXXVIII. & ſequentibus, Jobum compellantis adtendas, inde pro noſtra ſententia adlatis huc uſque rationibus pondus haud ſpernendum addi comperies. Utut enim eximia conceſſerim hiſce ſermonibus contineri, imo ejusmodi quæ in Scriptore divinum adflatum arguunt, fatendum tamen, non ita inſigniter diſcrepare a ſermonibus Elihui ore prolatis, ut hos Elihuum vere prolocutum, illos autem a Numine immediate profectos ſtatuamus. Utriuſque certe argumentum

tum eodem fere redit. Scilicet, ut ex recenſione operum tum potentiæ, tum ſapientiæ divinæ in hujus mundi adſpectabilis conditura atque oeconomia, inconſultus Jobi impetus retundatur, eique præ malorum impatientia audacius in coelum inſurgenti os in poſterum comprimatur. Procul enim omni dubio eſt, ſi revera Deus, tanti certaminis arbiter futurus, e coelo comparuiſſet, ea fuiſſe prolaturum, quæ clare controverſiam Jobo cum amicis agitatam dirimerent, & cuncta Elihui philoſophemata ſua luce præſtinguerent. Tantum abeſt, ut Naturæ mirabilium, ad Poëtarum morem exornata deſcriptione, ac Behemothi cum Leviathane σκιαγραφίᾳ rem totam tranſigeret. Itaque hic loquentis Numinis expreſſiſſimum Oraculum non agnoſcimus, ſed tantum ipſi a Vate ἐνθέῳ adfictam ſermocinationem, quemadmodum cæteris fabulæ actoribus cuique ſuam adfinxit, prout operis uſus & ratio poſtulabat. Unde minus mirum, ſi aliis ſolum verborum flexibus eadem prorſus argumenta urſerit tam ex Elihui, quam ex Dei perſona, neque plus minuſve in hac poſteriore, quam in priore, ſapuerit. Scilicet, cum Poëmatis ſcriptor nodum ſtrinxiſſet Deo vindice egentem, neceſſe omnino habuit poſt reliquas perſonas Deum

tandem loquentem inducere, & ea quidem docentem, quæ modulum cognitionis & adflatus, quibus ſcriptor revera, ad opus ſuum exarandum ſe accincturus fruebatur, neutiquam excederent. Egregie enim fallatur qui exiſtimet, quæſtionem de Providentia divina, tot contentioſis, hinc inde, quinque virorum diſputationibus vexatam & ventilatam, prolixa illa, quæ quatuor ultimis libri capitibus, a XXXVIII. nempe, ad XLI. continetur, oratione decidi. Ex qua potius talis ζητήματος ſolvendi ſpes omnis prærepta videtur; dum ibi ex Numinis operibus ejus natura infinita eſſe oſtenditur, ac proinde finitis mentibus inacceſſa. Veram quæſtionis ἐπίλυσιν alibi nuſquam profecto, reperies, niſi in ultimo fabulæ exitu, ſeu inopina Jobi fortunarum inſtauratione, quam ipſa hiſtoria prodit; ubi cum Deus ſe revera Jobo revelarit, & conſpiciendum præbuerit, inde Vati ex decoro viſum, Deum quoque inter cæteras Dramatis perſonas in ſcenam producere.

§. XVIII.

Rationibus noſtris ita rite ſubductis, nunc divinum Poëmatis ſacri artificium mecum intuere; cujus τὸ ἠθικὸν eo redit,

cæcas eſſe hominum mentes in perveſtigandis Providentiæ conſiliis & viis erga hominum genus, quas demiſſo animo adorare, quam curioſo rimari oculo tutius ſit. Simul perſpice, quam exquiſito judicio Poëta hanc hiſtoriam elegerit, in argumentum Poëmatis, ex qua ſcilicet tam utilis doctrina facile hauriri poſſit, totiuſque operis optime tela pertexi. Ænigma enim quoddam in Viri ſpectatiſſimi inauditis caſibus proponitur, cui ſolvendo & divinando nec ipſe Jobus, nec ejus amici pares ſunt, quicquid laborent & æſtuent. Interim ultro citroque ex oblato argumento multa egregia diſputantes inducuntur circa Numinis naturam, virtutes, gubernationem, & varia opera. At quod ad ejus arcanum conſilium pertinet, in dividenda adverſa proſperaque inter homines ſorte, andabatarum more utrimque pugnatur. Nemo eſt qui rem acu tangere poſſit, aut epilyſin ardui problematis adſequi. Ea vero lectoribus in Procemio ac veluti protaſi Poëmatis ultro objicitur. Nam Satanæ cum Deo colloquium plagarum Jobo incuſſarum cauſam aperit. Nempe tentamen illud fuit, eo potiſſimum ſpectans, ut Jobus invictæ in ſummis ærumnis conſtantiæ exemplar venturis ætatibus proponeretur.

 At-

Atque talem uſum Viri religioſiſſimi hiſtoria ex vero prodita luculenter exhibet. Eam per duo prima libri capita ſimplici narratione pertexit; hujusque intermediis ſermonibus abruptum filum redorditur ſacer Scriptor Capite XLII, ubi totius Dramatis exodium cernimus in fèlici rerum converſione, inexſpectataque fortunarum Jobearum inſtauratione. Unde apparet, vera equidem docuiſſe Eliphaſum IV. 7. dum pugnat Deum, innocentiæ certiſſimum vindicem, non paſſurum ut ea funditus intereat, atque ad ultimum infelix ſit; at in eo falſum fuiſſe, imo graviter peccaſſe, quod præcipiti abreptus judicio, amicum, quem absque ulla melioris ſortis ſpe fortunis ſpoliatum reputat, & exitio devotum, magni cujusdam ſceleris inſimulat, atque improbi animi pœnas luere pronunciat. Cùm contra rem in medio relinquere debuiſſet, & mortalibus abſconditas divinæ adminiſtrationis rationes religioſo venerari ſilentio. Peccat & ipſe Jobus, dum affectui æſtuanti habenas laxans, Deum in jus vocare audet, tanquam parum æquum rerum humanarum moderatorem; dum de rerum ſumma deſperans, conclamata omnia, ſeque funditus periiſſe vociferatur. Subinde tamen nonnulla interspergit, quibus ſpem ſibi

in

in Deo repoſitam (a) ſignificat, felicem negotii totius exitum auguratus: quæ ambages mire ad Dramatis venuſtatem faciunt, quia ſpectatori animum ſuſpenſum tenent, incertumque quis tandem totius rei exitus futurus ſit.

§. XIX.

Cæterum hîc advertat Lector, quando priora duo hujus libri Capita ad veram hiſtoriam Jobi pertinere diximus, id nos non ſic intelligi velle, quaſi nudam plane & inartificioſam annalium more narrationem complecteretur, ubi omnia ſtricte ad litteram ſumi debeant, nullo figurarum ornatu compta & veſtita. Quæ enim ibi leguntur de Satana in Dei conſpectum ſeſe una cum Dei filiis, id eſt beatis Angelis ſiſtente, inſtar miniſtri aut apparitoris coram Rege adſtantis, & ad ejus imperia exſequenda accincti; item de familiaribus ultro citroque inter Deum & Satanam colloquiis habitis, vix eſt ut aliter quam tropice ſumantur. Erit forte etiam qui ſibi perſuadeat, ea ad Epici Poëmatis morem fuiſſe efficta, ad cujus decorem per-

(a) V. præſertim XXVII. 8. adde XV. 4, 7-11. XVIII. 4.

pertinet ſupernaturalium cauſarum interventus, & Angelici miniſterii graphica deſcriptio. Nihilo magis neceſſe habemus, ſermones cum Deo ſic revera a Satana conſertos credere, uti hîc narrantur, quam quos ad Achabum regem Micheas in viſione oblatos retulit 1. Reg. XXII. 19. quæ narratio huic noſtræ conſimillima. Æque certe ea ad Epopoeæ hujus artificium, καὶ τὴν μηχανὴν, pertinere cenſenda, quam quod Deus in operis clauſula e turbine loquens inducitur. His adde varii generis damna & clades in unum veluti temporis articulum conglomeratas, dum calamitas calamitatem excipit, & nuntius infauſtus alium nullo interſtitio conſequitur: quod non hiſtoriam redolet, res nativa ſerie prout quæque geſta eſt recenſentem, ſed Poëtæ artificium, ejusmodi συμφορὰς in arctum ſpatium cogentis, δεινότητος χάριν.

V. Sentimens de quelques Theologiens de Hollande pp. 177. & ſeq.

Hanc libri igitur partem, hiſtoricæ nomine, diſpeſcens a reliquis, id unum volo, priora duo Capita in prologi vicem præfixa, verum Jobi caſum, cui quaſi fundo univerſum drama innititur, lectori exhibere; id eſt rem vere geſtam, figurarum tantum illuſtratam coloribus, ad morem parabolicæ ſcriptionis, חידה, aut τῶν משלים. Quid ſub ejusmodi figuris lateat, eruere

haud

haud difficile, quod ſi ſimpliciter efferas, huc redit. Jobum, heroa haud minus illuſtrem virtutibus & pietate, quam fortunis conſpicuum, Diaboli ipſi infenſi & invidia in eum, uti in omnes probitate inſigniores, ardentis opera, bonis everſum, liberis orbatum, exitiali morbo cruciatum, id fieri ſinente & procurante Deo, qui eouſque habenas Diaboli malitiæ laxaverat, ut Servi ſui virtutem, fidem, patientiam hoc tentamine exploraret, & apud omnes conſpicuam factam, excellenti demum & ampliſſimo præmio remuneraretur. Quod arcanum tandem ipſi Jobo ſpeciali revelatione patefecit.

§. XX.

Quamvis autem oratio ἐσχηματισμένη manifeſto appareat, neutiquam eo obtentu Diabolo partes, quas in eo negotio ſuſtinuiſſe legitur, abjudicare licitum. In eo tropus (*a*) unice ſitus, quod humano more cum Numine ſermones miſcens inducatur; non autem in eo, quod propria efficacia, naturalium cauſarum vim omnem

(*a*) Quod duo hæc a ſe invicem non ſatis diſcreverit Maimonides, inde factum ut meram hîc eſſe Parabolam ſomniarit. *More nev.* III. 22.

mnem ſuperante, Jobum ſibi permiſſum vexaſſe dicatur, & infandis modis exercitum habuiſſe. Efficaciam enim talem ei diſerte tribuit Scriptura locis compluribus, quæ Satanam inter occultos divinæ gubernationis miniſtros recenſet. Apprime illud igitur de Scripturæ tropis tenendum, quando tropicam eſſe narrationem audis, minime ideo tolli eum agendi modum, qui Naturæ ordinem ſupergreditur. Procul a nobis abſit talis impietas! ſed eo nos moneri tantum (*a*) res ſupra Naturæ ſortem poſitas iis coloribus, iis lineamentis adumbrari, quibus mens noſtra, ut ſibi cognatis & conſuetis, fortius percelli & moveri ſolet.

§. XXI.

Pariter ad hiſtoriam referendum, quod ægrotante Jobo ex familiaribus amicis quatuor præcipui, quorum quemque tam a proprio quam patrii ſoli nomine Scriptura deſignat, ne forte umbras fuiſſe, aut larvas inanes cogitemus, eum conſolaturi inviſerint, ac ejus malis illacrimarint. Sed

(*a*) Allegorica ſæpius permixta hiſtoricis, optime oſtendit Spanhem. Lib. laud. Cap. I. 12. ubi lapſus quoque Adamici hiſtoriam in exemplum adfert.

Sed poſtea demum ex tam ſtupenda calamitate in ſuſpicionem neſcio quam de amici innocentia inciderint. Hunc caſum eaſque ſuſpiciones occaſionem dediſſe variis colloquiis & concertationibus probabile eſt, quibus ultro citroque de Providentiæ æternæ conſiliis multa diſputata fuere. Nonnulla forte ex iis decerpta S. Scriptor digeſſit, & ſcripto complexus eſt; fuſo illa quidem orationis (*a*) genere amplificata, & poëtico ornatu compta, iis tamen unice ſelectis, quæ ad operis intentum faciebant, dum plura a propoſito aliena rejecit. Quis enim dubitet quin homines pii, veræ Religionis notitia imbuti, ſummi Numinis cultores acerrimi, ea præſertim conditione rerum, multa eximia, circa ſpem vitæ melioris, & præmia poſt mortem bonis repoſita inter ſe locuti ſint? Ut aliter cenſeam haud ſane a me impetrare poſſum, quando nihil tali conventu dignius, nihil pro tempore opportunius. Forte etiam (quis enim in ejusmodi re quicquam pro certo ſtatuere auſit?) quos

(*a*) Notatu hic digna confeſſio, quam doct. Spanhemio res ipſa expreſſit. *Potuit ille* (Hiſtoriæ Scriptor) *ſic referre ſubſtantiam dictorum Jobi & Elihu ut amplificaverit quandoque Prophetico ductu. Hinc quæ illi quoad ſummam rei, hic expreſſerit iis verbis quæ & exempla continerent.* Hiſt. Jobi VIII. 19.

quos legimus ſermones in totum ficti fuerunt, exceptis, ut mox obſervabimus, adagiis perpaucis, quæ quoniam, Jobi & amicorum ore excepta, traditio hominum & memoria celebrabat, ſcite ſuo operi auctor intertexuit.

§. XXII.

Veræ quoque hiſtoriæ pariter deputanda arbitramur conſtantiæ Jobeæ illuſtria documenta, & in iis præſertim illas vere aureas voces, ſtatim accepto de liberorum interitu nuntio : *Nudus egreſſus ſum ex utero matris* &c. *Dominus dedit*, *Dominus abſtulit*, *Domini nomen ſit benedictum.* Ut & quæ mox maleferiatæ conjugis extudit importunitas : *Ut una ſtultarum loqueris. Itane vero bonum accipiemus a Deo*, *& malum non accipiemus*? Minime ambigendum, quin ejuſmodi apophtegmata recens ſatis traditio Moſis ſæculo ſervaverit, quæ ipſe ad poſteritatis documentum & exemplum æternæ memoriæ commendavit, ſuo Poëmati, ſi hujus quidem auctor eſt, fideliter inſerta.

Idem videtur dicendum de inſignibus ſententiis, quæ aliquid continent ſublimioris ſenſus, hoc eſt prophetici aut myſtici & typici, quæ vere Jobi aut amico-

rum,

rum ore prolata, S. Scriptor ab oblivione vindicavit, iisque velut emblematis & teſſerulis commentationem ſuam exornare geſtivit. Quale illud Eliphaſi ſomnium Cap. IV. vs. 12. Ubi aſſeritur Numinis majeſtas, & immenſo intervallo ſupra Angelorum puritatem eminens ſanctitas. Qualis Elihui ſententia vere Evangelica Cap. XXXIII. 33. de internuntio, ſeu Angelo mediatore, qui lytro reperto, Deum peccatoribus placat. Quale denique decantatiſſimum illud ipſius Jobi Cap. XIX. de Goële teſtimonium, ubi præclaram ſpem omnimodæ ſuæ liberationis aperte profitetur.

§. XXIII.

Ad poſtremum hocce quod ſpectat, id ab ore Jobi revera emanaſſe fidem facit, tum ſubjecti argumenti natura, quæ ſic a reliquis ipſius ſermonibus, & univerſa operis tractatione diſſidet, ut haud temere illud ei Scriptor, utpote a ſuis rationibus alienum, ex ingenio adfingere voluiſſe videatur; tum præcipue ſolennis præfatio, qua ſuam Jobus plenæ in Deum fiduciæ profeſſionem venturis ætatibus transmittit, atque

atque ad æternam rei memoriam ferreo ſcalpro in ſaxum incidi poſtulat. Cujus voti idonea cauſſa reddi poteſt; & duplex quidem, pro duplici quem verba capiunt ſenſu. Si enim ea accipias de inſtauratione valetudinis & fortunarum; cum vaticinium contineant circa rem, tunc quando prænunciabatur, incredibilem, proclive fuit optare, ut memoriæ ſedulo conſignaretur, ne ei fides poſtmodum derogari ullatenus poſſet. Si vero de ſpe reſurrectionis ultimæ interpreteris, tunc præclarum Oraculum, haud ſecus ac cætera ſub Veteri Teſtamento edita, quæ Evangelii adventantis luce reteguntur, diligenter decuit aſſervari, ſuoque Vati aſſeri; cùm inde inſigni divinitatis nota, tum hicce liber ſpeciatim, tum vetus in univerſum Oeconomia obſigilletur. Hinc quoque obiter inferre licet, Jobum Dei ſeu expreſſo monitu, ſeu arcano inſtinctu, ſibi certo certius laborum felicem exitum ſpopondiſſe, animum ad id parum (*a*) adjicientibus, aut fidem habentibus amicis; quos nem-

(*a*) Quod ſi tibi incredibile videatur, ejus memineris quod notat Lucas Evangelii Cap. 18. 34. circa ſtuporem diſcipulorum Magiſtri dicta de inſtanti morte ſua nihil advertentium; ubi vides quanto opere præjudicata mens, & carnis affectibus obſepta, veritati aditum præcludat.

nempe transverſos egerat præjudicata circa divinæ gubernationis rationes opinio. Hinc factum opinor, ut dictum adeo memoratu dignum, quaſi indictum neglexerint, & oſcitantes prætererierint. Quod & in ipſo Poëmate faciunt, nullo ad id reſpectu habito, inſtitutum argumentationis filum perſequentes. Quin, quod magis mireris ibidem, ipſe Jobus, quaſi tantæ ſpei, quam diſerte expreſſit prorſus immemor, de rebus ſuis tanquam conclamatis loquitur, nullamque intereunti opem, perfugium nullum patere queritur. Cur vero ſibi tam parum conſtans fingatur, cauſa ex Scriptoris conſilio peti debet. Quippe is auream veri Jobi vocem haudquaquam ſibi omittendam ratus, velut purpureum pannum qui poſterorum oculis ſplenderet, operi inſeruit. Quæ præterea tanto plus venuſtatis habet, quod de Fabulæ exitu tecte ſpectatores moneat; uti alias hîc illic ejuſmodi ſtricturas ſubinde obſervavimus. Sed cum interea totius Dramatis ratio poſtulet, ut quicunque in eo partes aliquas agunt, in Providentiæ divinæ ἀποῤῥήτοις perſcrutandis ceſpitent, & a vero longiſſime aberrent, oportuit diſputationis telam ſic ad ultimum pertexi, nullo ad vaticinium,

quo

quo ænigmatis enodatio continebatur, reſpectu habito, quaſi extra ſe raptus Vir ſanctiſſimus, prophetico quodam enthuſiaſmo pronunciaret nec a ſe, nec a circumſtantibus intellecta. Sed ipſa argumenti dignitas, atque vexatiſſimi Oraculi majeſtas nos invitat ultro, ut ipſi excutiendo peculiarem curam impendamus.

EXA-

Digitized by Google

EXAMEN ORACULI

Celebratiſſimi

DE GOELE,

Jobi XIX. 25-27.

SYLLABUS.

DE hujus ſenſu lis magna Interpretibus. Litis cauſæ; expoſitio duplex. Prior de liberatione temporali intelligit. 2da. *refertur ad reſurrectionem ultimam.* I. *Rationes priorem expoſitionem tuentes, partim ex poſterioris incommodis petitæ; quam parum fert* 1mo. *antiquis Patribus indulta revelationis menſura.* 2°. *nuſquam alibi prodita Jobo ſpes reſurrectionis ultimæ, quamvis nihil ad ejus caſum opportunius.* 3°. *ſilentium Amicorum:* 4°. *partim ex congruentia cum exitu Cap. XLII. comme-*

morato. 5°. *eidem expoſitioni verba textus commode ſatis aptantur.* 6°. *nec huic diſconvenit verſuum* 23, 24. *ſolennis obteſtatio, eo fine adhibita, ut de vaticinii fide conſtaret.* II. *Rationes poſteriori interpretationi faventes.* 1°. *in genere, emphaſis verborum & complexus totius orationis.* 2°. *in ſpecie, quod ibi dicitur de Numine conſpiciendo oculis corporeis.* 3°. *præfationis Solennitas.* 4°. *terrena Spes omnis diſerte Jobo ejurata.* III. *Utraque interpretatio conjungenda videtur, & primus ſenſus ſecundo ſubjiciendus. De typis, & typicorum Oraculorum indole. Jobus Eccleſiæ typus inſignis. Fidelium ultima die redemptio, per fortunarum Jobi inſtaurationem adumbrata. Id Jacobi Apoſtoli auctoritate probatur. Utrique interpretationi ſcrupulus adhærens tollitur, ſi hunc librum Poëma eſſe ſtatuis, & perſonatum Jobum diſtinguis a vero, vaticinium, quod ad veram hiſtoriam pertinet, fictis ſermonibus inſertum, ad ornamentum operis, licet ejus ſcopo alienum. Typica oracula quantum præcellant ipſis typis. Eorum genuina vis elucet ex collatione antitypi, alias a myſtico ſenſu hiſtoricus utpote probabilior mentem avertit.*

My-

Myſterium Evangelii ope recluditur. Pro nobis ſtat auctoritas magnorum Virorum, Hieronymi, Calvini. Quæſtio ſolvitur: cur tam ſera apud Judæos reſurrectionis corporum notitia?

QUamvis univerſum opus, quod Jobi nomen inſcriptum gerit, illuſtribus ſententiis abundet, gravibus dictis, animoſis vocibus, & aliquid divinum ſpirantibus, tamen eminet inter cæteras, præclara illa ſpes de venturo redemptore, qua in mediis licet ærumnis & ad deſperatiſſimam ſortem redactus, ſe fretum teſtatur vir ſanctiſſimus. Quod oraculum quo luculentius ſemper viſum, eo plus negotii faceſſivit interpretibus. Etenim in aliis enodandis ſi hærent ſæpe & laborant, id vero fit ex ambiguitate ſermonis, ſenſibus intricatis, ac denſa quibus obvolvuntur caligine. In noſtro plane contra uſu venit, ut ex verbis ſatis expreſſis & apertis ſenſus egregius, & quidem duplex exſurgat. Sed ipſa ſenſus duplicitas diſſidium opinionum peperit & acerrimam inter doctos commentatores movit controverſiam; dum ab hac & illa parte rationum momenta haud levia adſunt, ſic ut utramlibet ex duabus ſententiam eligas, multa invenias, quæ ad eam ample-

xandam invitent, nec pauciora, quæ ab eadem deterreant. Bifariam ergo celebratiſſima verba accipi poſſunt. 1°. de temporali Noſtri liberatione a miſeriis, ſeu collapſarum fortunarum inſtauratione. 2°. de beata ultimæ diei reſurrectione, in qua Jobus, nefandis hodie calamitatibus preſſus, quin & infeſtorum ſub amicitiæ titulo adverſariorum calumniis miſere vexatus, ſpondet ſibi Goëlem quondam exoriturum, ſuam qui ab illis innocentiam lata ſententia pleniſſime vindicet, ſeque ab hoc incumbentium malorum pelago extractum in tutum adſerat. Jam utraque interpretatio, ſuis cum fundamentis & rationibus, ſtrictim excutienda venit, ut rite expenſis, quibus quæque commodis & incommodis ſeu premitur, ſeu juvatur, videamus tandem quid tutò circa rem univerſam conſtitui aut poſſit, aut debeat.

I. Pro ſenſu liberationis temporalis apprime faciunt ſequentia. Primum ingenue fatendum eſt, ſi cum frequenti Theologorum choro, Jobi verba ſenſu Evangelico ſumantur, ea fiduciam ſpirare beatæ poſt mortem reſurrectionis, quæ fidei & cognitionis modulum, quem priſcorum temporum Piis indulſit Deus, multis partibus ſuperat. Quantum ſaltem ex Scriptu-

ris

ris Vet. Teſtamenti, a Geneſeôs libro, ad Malachiam uſque, indagare licet.

Profectò, ſi divinitus hominum generi patefactæ revelationis omnibus retrò ſæculis veſtigia relegas, ab uſque meridiano Evangelii lumine, ad illuceſcentem Gratiæ ſub prima mundi exordia auroram, obſervabis, quicquid ad ſpiritualia ſpectat, & cœleſtia bona, eò obſcurius homines edoctos, quo propius a prima rerum origine aberant: ſenſim tantum ac pedetentim labente ævo promiſſiones explicari non niſi denſioribus, quibus abſconditæ latebant, remotis involucris, at aliquo ſemper, etſi tenuiori oppanſo typorum & ænigmatum velo. Sic manifeſtiora, apud Prophetas, tum Meſſiæ, tum vitæ melioris per ipſum obtinendæ documenta conſpicere eſt, quam quæ in ſcriptis Moſaicis deprehendere licet. His gradibus indies excreſcebat, his lucis incrementis paulatim corroborabatur religioſorum hominum fides, quo propinquior ad Chriſti Soſpitatoris tempora, atque vaticiniorum impletionem acceſſus fiebat. Unde arguere promptum, Jobi ævo, qui Moſe antiquior habendus, neutiquam par fuiſſe, ut myſteria, a Chriſto demum retegenda, clare adeo fidelium animis obverſarentur. Tam luculentum teſtimonium

de redemptore, Deo ſimul & homine, Orbis judicem acturo, quin & mortuorum cinerem in nova corpora inſtauraturo, uti captum hominum ſub veteri illa Oeconomia viventium longiſſime ſuperavit, ſic omnino ad perfectiorem diſpenſationem pertinet, Evangelicam nempe; cujus proprium id munus fuit, vitam illam immortalem in aperta luce collocare. Quod ſi reſurrectionem ultimam cogitavit Jobus, tam clare expoſuit, ut nulla ſupra ipſum Chriſtiani luminis prærogativa gaudeant.

Fruſtra cum rev. Sherlockio excipias, (a) promiſſionem illam Traditionis ope transdiditam, in certis Patriarcharum familiis hæſiſſe, dum cæteris prorſus ignota foret. Gratis id omne conjicitur, ſi cuiquam enim, Abrahamo certe tradita fuerit & commiſſa. Is obſcurioribus tamen contentus eſſe debuit, quas Chriſtus multis contra Sadducæos, Lucæ Capite XX., Paulus ad Hebræos XI. urget; uterque clariora & expreſſiora procul dubio allaturus, ſi adferri potuiſſent.

2. Haud immeritò quis miretur, cùm melioris vitæ ſpes una ſit, quæ miſeris efficа-

(a) V. Shérlock *the uſe and intent of Prophecy* Diſſert. II. p. m. 267.

ſicaciſſimum ſolatium adferat, neque aliud firmius præſidium ſuppetat, quo ſe ſuſtentet, recreet, atque erigat fractus, & conſtrictus mœrore animus; nuſquam tamen, ſi unum illum locum ſecludas, in toto libro de eo mentionem injici. Unde proclive eſt admodum, ab iis quærere, qui talem oraculo ſenſum affingunt, quare fiat ut Jobus, dum multiplices quibus implicitus eſt, calamitates recenſet, & miſerabiliter lamentatur, dum impacta ſibi crimina fortiter repellit, dum divinæ erga ſe Oeconomiæ rationes anxie ſcrutatur Amicorumque de eodem argumento ſenſum refutat, nullam melioris, & quidem ſempiternæ vitæ exſpectationem prodat? non ea ſe cogitatione ſublevet? eo ariadneo filo inexplicabilem caſuum ſuorum labyrinthum evolvat? imo contra ſic ſæpius loquatur, quaſi nullam ſibi amplius ſpem repoſitam exiſtimet? Dic, amabo, ſi diem ſupremi judicii cogitavit atque exſpectavit Noſter, in quo cunctis ejus innocentiam patefieri neceſſe eſt; quidni confidenter huc provocavit, ut nos Chriſtiani ſolemus? Cur anxiis precibus efflagitavit ſibi ad Omnipotentis tribunal aditum dari, ibi propriam cauſam diſceptaturo? Unde tandem fit, ut ſpes illa immortalitatis, quæ per univerſam Jobi cum

amicis diſceptationem perpetuo tenore regnare debuit, hoc uno in loco momentanea quadam coruſcatione ſcintillet, reliquis ſermonibus, quaſi ſimul nata & exſtincta foret, alto ſepelienda ſilentio? Sufficit, inquis, ſemel diſerte memorari. At videſis num in ejusmodi libro, ubi alia, quæ multo minus erat opus, uſque & uſque ingeruntur, credibile fiat, doctrinam tanti momenti, quæque proram & puppim totius tractationis facere debebat, unico tantum loco tradi; dum tot opportunis locis ſiletur, tot ibidem paſſim adverſantibus ſententiis obliteratur.

3. Haud ſecius mirandum, ad tam diſertam fidei & ſpei ſuæ profeſſionem, cui adeo ſolemniter præfatur, ut ipſo verborum apparatu auditores attentiores reddat, (*a*) nihil quicquam repoſuiſſe adverſarios, ut cavillarentur ſaltem, & irriderent; ſed ſic contra neglexiſſe, ut ſilentio præterirent, nec ab incepto diſceptationis curſu vel hilum deflecterent. Contra ad inſolentem doctrinam & in-

ex-

(*a*) Adducit quidem Rev. Sherlock loca Cap. XV. ỳ. 7.—11. XVIII. 4. ubi eo nomine Jobum vult ab amicis increpatum, quaſi Dei reverentiam per hoc imminueret Sed arceſſita nimis videtur interpretatio.

exſpectatam de corporum ἀναςάσῃ ſi, ſibi propoſitam, intellexiſſent, obſtupefactum & commotum iri par fuit, quemadmodum accidit poſtmodum Athenienſibus Philoſophis, eadem docente Paulo, Actor. Cap. XVII. Nonne vero id ſatis arguit, temporalem ſolum liberationem intellectam, cujus ſpes, his verbis prodita, nihil aliud amicis viſa ſit, quam blandum aliquod ſomnium, ex eorum genere, quibus miſeri ſeſe oblectare amant, atque inanibus ſolatiiş paſcere; adeoque neglecta, & contemptim habita.

4. Exitum ex miſeriis, adhuc vita conſtante, ſuadet innui ipſe eventus, ſeu cataſtrophe Capite XLII. memorata, quæ ſatis accurate verbis quæ tractamus reſpondet, Jobique de ſe vaticinium complet. Nempe Jobum Dominus de turbine alloquitur, ipſius quodammodo oculis ſe conſpiciendum præbet, & calumniatoribus damnatis, eum a reatu abſolvit, inſuper a teterrimo morbo ſanat, & quaſi jam depoſitum & conclamatum exſuſcitat, facultates amiſſas reſtituit, duplo auctiores factas, ut ſtatum priſtino ſplendidiorem obtineat. Ultimus ille goël, aſſertor & vindex oppreſſæ virtutis in arena, ſtans inducitur ſeu palæſtra pulverulenta,

 (a) mo-

(*a*) more brabeutæ, ut ſimul Jobi capiti, tanquam ἱερονίκῃ, multa cum laude coronam imponat, ſuique eum adſpectu exoptatiſſimo beet.

5. Non huic interpretationi reluctatur verborum nativa vis, quæ ſic redduntur a Grotio; *Etiamſi non pellem tantum meam ſed & hoc* (nempe *arvinam* quæ ſub pelle eſt) *conſumerent* (*morbi* ſcilicet) *in carne tamen mea Deum videbo.* Sive enim morbos, ſive ulcera, ſive vermes in oratione ſuppleas, qui carnem ad oſſa eroſerint, diſcerpſerint, & in minutiſſima fruſtula comminuerint, ſic loqui potuit Jobus, hyperbole uſus ad intelligendum ſatis clara; quemadmodum alibi dixit, *ſi me vel interimeres, tamen in te ſperabo.* Nempe ut vim exprimeret fiduciæ, quam in Dei ope & virtute reponebat; adeoque eum neceſſe neutiquam fuit de putredine ſepulcri cogitare.

6. Neque magis obſtat proœmium ſolenne, ac ardentiſſimum votum optantis, dicta ſua cippo aut marmori inſculpi, & quidem ſtilo ferreo, ad æternam memoriam, ut venturis ſæculis feræque poſteritati commendentur. Exſpectatio nimirum rei incredibilis; quæ nullam apud Tres-

(*a*) Si modo ritus palæſtricorum certaminum tam antiquus, ut illuc alluſum ſtatuatur, ut ad hunc locum Schultens recte obſervat.

Treſviros fidem inveniebat, ſic prægnantibus verbis concipi, ſic perennaturo monumento obſignari meruit, ut ejus apud poſteros conſtaret fides, miſeris omnibus hoc exemplo ſolatium allatura; eaque potiſſimum de cauſa, ut caveretur, nequis vaticinium poſt rei eventum demum confictum ſuſpicari poſſet. Atque hæc ſunt, quæ pro priori verborum interpretatione urgeri ſolent, haud ſpernenda procul dubio argumenta.

II. Pro ſublimiori jam ſenſu reſurrectionis ultimæ, alia, & quidem potentiſſima militant. Ac primo eam commendat emphaſis verborum, totiuſque Oraculi complexio. Sive enim ſingula verba ſeorſim penſicules, ac ſingulorum veluti ductuum colorem vividiſſimum ſpectes; ſive ſummam univerſam animo complectaris, & uno obtutu defixam ob oculos ponas, tum, velis nolis, immortalis illa Chriſtianorum ſpes animo obverſatur, ut fateri neceſſe habeas, clarius & ſignatius exprimi non potuiſſe. Etenim Goëlis titulus, ſecundum propriam & primariam acceptionem ſumptus: corporis eroſi, & poſt detractam pellem in minutiſſima diſcerpti deſcriptio: conſpectus illius piorum afflictorum Vindicis ſupra pulverem ſtantis, aut in pulvereo campo, mentio facta: Nu-

Numinis poſtremum conſpiciendi, & quidem oculis Jobi corporeis; ea inquam ſi colligantur omnia & pleno ſecundum nativam verborum vim ſenſu ſumantur, nobis exhibent Deum, humani generis Redemptorem *ἐν σαρκὶ φανερωθέντα*, ultima die poſt mundi fata ſuperſtitem, utpote cui inſit (*a*) vis incorruptibilis vitæ; ac morte debellata ſuos ex pulvere ſepulchri reviviſcentes glorioſiſſimo ſui conſpectu exhilarantem, dum mortalitatis pannis exutos in æternæ gloriæ poſſeſſionem adſerit. Eadem facile perſpicis temporali liberationi, diluto tantum ſenſu, & valde imperfecto, adcommodari poſſe.

2do. Is numinis conſpectus, quem certiſſimo ſibi augurio ſpondet Noſter, quo minus de Deo, Jobum e medio turbine alloquente exponatur, ſequentia obſtant. Primum Deus ipſi auditus tantum, clara voce hominem compellans, non viſus narratur, corporea ulla objecta forma. Tum ſi, tropice loquendo, *viſio* illa dici poteſt, ejusmodi certe fuit, quæ terrorem incutere aptior, quam gaudio perfundere. Siquidem Deo ſic viſo, Jobus proſternitur, &

(*a*) גואלי חי quippe — qui vivit in æternum Pſ. CII. coll. Joh. XIV. ℣. 19. V. 21. *ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται — κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου — μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ.* Hebr. VII. 8. 16. 25.

& inconſiderate dicta recantat. *Quando te*, inquit, *meis oculis vidi, piget, pœnitet me ſic eſſe locutum, eorumque in pulvere & cinere veniam deprecor.* Cap. XLII. 5, 6. At, quæ viſio Numinis ſuprema die piis continget, ea læta & fortunata omni ex parte accidet, nihil formidoloſi aut horrifici admixtum habens; adeoque hæc viſio aptius & plenius verbis Oraculi noſtri, ſpem lætam & triumphabundam undique ſpirantibus, congruit. Huc accedat clauſula notabilis, nec leviter prætereunda; in *carne mea videbo; oculus meus videbit, & non alter.* Hanc ſi ulterius non trahas, quam ad temporalem reſtitutionem, frigidam merito dixeris & otioſam: Qui enim aliter quam carne potuit, aut corporeis oculis, ſi in hac mortali vita præſentem conſpecturus eſt, aut faventem experturus? ut Grotius hanc *viſionem* interpretatur. Ad reſurrectionem vero ultimam relata clauſula, miram emphaſin habet, ad myſterii, quod ſenſum ac fidem omnem ſuperat, confirmationem, q. d. *ne dubitate, ô familiares! Sciens affirmo, neque fallet me exſpectatio certiſſima: Carne mea Deum intuebor, meis inquam hiſce oculis, non alienis.*

3°. Procemii majeſtas huc quoque plurimum momenti addit. Non quod ſepulchrale

chrale hîc elogium cogitandum ſit, quanquam *titulo*, ſi qua unquam, *res digna ſepulchri*. In quo tamen argumento magnum ſibi præſidium Interpretes nonnulli, iique non e vulgo, repoſitum putant, idque tanquam palmarium, ſumma cum fiducia, ſæpius inculcant; adeo vana ſcintillula, dicam? an igni fatuo ſibi oculos præſtingui ſunt paſſi. Haud temere ſe ejuſmodi ingenii luſibus duci patietur bonus ratiocinator. Nos rem aliter inſtituimus, vimque argumenti repetimus ab ipſa præfationis ſolennitate. Quandoquidem enim oraculum poſteriori ſenſu acceptum rem docet magnam, excelſam longe longeque digniorem, quæ in omnium ætatum memoriam perennet, quam quæ priori continetur; hinc nos admoneri palam eſt, ut ad celſiorem illum conſpectum oculos attollamus.

4. Idem eò fortius oculos percellit, & penitius menti inſinuat ſeſe, quod Noſter ſpem omnem reſtitutionis in integrum abjeciſſe videbatur, uti indicant loca complurima. In contrarium equidem adferri video duo teſtimonia. Cap. XIV. vs. 14. *Omnibus diebus militiæ meæ exſpectabo*, ait, *donec veniat* חליפתי *immutatio mea*. Quod rerum ſtatus aut fortunarum converſionem ſonat. Item Capite XXIII. 10.

Cum

Cum me probaverit, ut aurum emicabo. Sed ultimum hoc, in modum voti accipi poteſt, Jobo ex conſcientia propriæ integritatis hanc fiduciam habente, ſe Deo judice abſolvendum, modo ſibi aditum dare cauſſamque ſuam cognoſcere non dedignetur. Prior locus intricatior, quam ut vera mens loquentis dignoſci queat: recte tamen alludit ad liberationem futuram, ut faciunt plura Amicorum dicta, de quibus infra amplius agetur. Sed parum conſtanter, obſcure, hæſitabunde hæc omnia; cum Oraculum de Goële inconcuſſam fiduciam præ ſe ferat. Inde ſic arguitur: quando Jobus ærumnarum finem & requiem in his terris non exſpectavit, & nihilominus ſpem omnimodæ liberationis Goëlis ope fovit indubiam; eum oportet de venturo judicio, corporum reſurrectione ultima, & rerum omnium inſtauratione cogitaſſe.

III. Satis jam præcipua utriusque ſententiæ firmamenta ponderavimus; æqua ni fallor lance, ſed quæ, prout mens his illisve magis rationibus attendit, paulo momento huc illuc impellitur. Neutra interpretatio ſpecie caret, aut validis quibus adſtruatur argumentis; at neutra ſic difficultates ſibi objectas expedit, ut non ſcrupulus ſemper aliquis hæreat. Quidni igi-

igitur utramque amplectendam & conjungendam cenſemus, ſublimiorem ſenſum tenuori ſuperædificantes, tanquam antitypum typo? Quod ſi media hæc via teneri poſſit, tunc omnes, quibus alii illiſerunt ſcopulos, tutò prætervehemur.

Id ante omnia tenendum, Scripturam, imo Oeconomiam Vet. Teſtamenti univerſam, typos nobis exhibere atque umbras promiſſorum ſub novo fœdere bonorum. Quando typos dico, certas res, perſonas, hiſtorias intelligi volo, quibus, tanquam in tabula quadam, futura graphice delineantur. Quorum futurorum, antequam evenerunt aut pleniori revelatione declarata ſunt, non niſi obſcuram typus ſignificationem adfert; quando autem eos cum rebus ipſis archetypis ſemel contendere licuit, tum mira elucet utrorumque convenientia. Sic Meſſias tot ante ejus adventum ſæculis in Iſaaco, Joſepho, Moſe, Joſua, Davide adumbratus, eorumque rebus geſtis. Sic gens Iſraëlitica Eccleſiæ Chriſtianæ typum geſſit. Quis enim attentiore animo utriusque Populi fata componens, Apoſtolo (a) monitore egeat, ut ſingularem Numinis ductum, & providum conſilium in hujusmodi adumbratione deprehendat? His poſitis valde conſentaneum eſt, ut quæ de Iſraële, aut

(a) 1. Cor. X. 11.

aut viris illis ſanctiſſimis dicta reperiuntur, ea typicam ſæpe ſignificationem induant, ac duplicem interpretationem ſortiantur; exiliorem unam, quæ typo, luculentiorem ſublimioremque alteram, quæ archetypo congruit.

Nunc Jobum intuere, atque attento oculo luſtra Viri religioſiſſimi varias fortunas, inauditos caſus, quibus exercitus & longo experimento eſt probatus; tum patientiam in malis invictam, & acquieſcentem divinis juſſibus animum, nec unquam abjectam, quanquam deſperatiſſimis in rebus, divinæ opis fiduciam; denique poſtliminio reductam, imò ingenti acceſſione amplificatam, incredibili miraculo, felicitatem. Quis vero expreſſior typus excogitari potuit Chriſtianæ Eccleſiæ; quam, variis tentaminibus in his terris exercitam, & paſſionum Chriſti participem factam ſuus ille Goël, fons vitæ inexhauſtus, ultima die mortis faucibus extrahet, & plenaria redemptione in regni cœleſtis ſempiternam felicitatem & gloriam aſſerturus eſt.

Tale autem in Jobi hiſtoria Spiritus S. Conſilium fuiſſe, neque ſola nos rerum ſimilitudine niti, docebit Apoſtolus Jacobus, cujus ea de re teſtimonium, Epiſtolæ ejus catholicæ Cap. V. 7—11, quip-

pe cui multi haud ſatis animum advorterunt, preſſius excutere lubet. Ibi pios in aſflictis rebus ad patientiam hortatus, *durate animo*, inquit, *fratres*, *atque conſtanter exſpectate*, *donec adveniat Dominus*. Is porro eſt adventus judicis, vexatorum cauſſam adſerturi, ſuoſque a calamitatibus liberaturi, quem prope ad fores adſtare prædicat verſu nono. Dein comparatione agricolæ utitur, qui uberem ſatorum proventum lentus exſpectat, dum irrigante matutino & ſerotino imbre adoleſcant. Haud aliter Paulus ad Rom. Cap. VIII. filiorum Dei ἀποκαραδοκίαν deſcribit, indeſinentibus votis redemptionem ultimam in corporum reſurrectione anhelantium. Pergit Jacobus, ſua hortamina confirmans Prophetarum exemplo, inter quos Jobum noſtrum diſerte commemorat. *Audiſtis*, inquit, *patientiam Jobi*; *vidiſtis* τὸ τέλος τȣ̃ κυρίȣ, id eſt, quem ejus tolerantiæ, κακοπαθείᾳ, exitum Dominus dederit. Vides jam ex Apoſtoli mente exitum illum Domini, ſeu inſtaurationem Jobi, ultimo Chriſti adventui, adeoque glorioſæ corporum reſurrectioni examuſſim, tanquam typum antitypo, reſpondere. Proinde in ſenſu duplici, quem Oraculo noſtro tribuimus, auctorem & manuductorem habemus Apoſtolum. Profecto illud Oraculum

culum Domini exitum, quem ipſius Jobi hiſtoria prodit, ſic repræſentat, ut longe feliciorem alium, qui pios omnes in fine mundi manet, ſumma prægnantiſſimarum vocum energia, ad vivum expingat. Primo illo & dilutiore ſenſu fateor a Jobo intellectum, ex præſenſione certiſſima, quam ei Deus indiderat, melioris recuperandæ fortunæ. Sic acceptum quoque ab amicis, at forte non creditum. Neque vero mireris, quod ſenſus eos altior ſubterfugerit. Ejusmodi enim ſenſum velat non obſcuritas verborum, ſed propius occurrens alius plauſibilis, qui noſtram ab illo eminentiore cogitationem abducit, & oculos in propinqua imagine defixos tenet, ne ulterius aciem intendant.

Difficultas una reſtat, eaque haud levis, ſed ejusmodi tamen, quæ cum utramque ex æquo interpretationem feriat, neutri obeſſe debet. Nam qualecunque fiduciæ hoc textu comprehenſæ objectum ſtatuatur, ſibi parum conſtantem Jobum reperies, qui ſic de rerum ſumma deſperare videtur, ut nec temporalis reſtitutionis, neque beatæ poſt funera vitæ, ſpei locum ullum relinquat. At enim cum, in Interpretum diſſidio, pars utraque hoc eodem argumento ita nitatur, ut quam defendit ſententiam eo adſtruat, exploſa altera;

conſequitur neutram inde labefactari. Nihilominus dicere arduum eſt, cur Jobus, tam certa ſpe, tam firma fiducia fretus, qualiſcunque tandem fuerit, ſemel prodiiſſe contentus, illius deinceps plane immemor videatur. An id tribuendum fluctuationi mentis huc illuc vi malorum delatæ, atque in contrarios ſenſus alternis abreptæ? Sed haudquaquam dubiam exſpectationem prodit effatum memorabile, contra certiſſimis fundamentis nixam, quæ proinde horæ momento pectore avelli non potuit, aut excidere memoria.

Unica ſuppetit ad implexum nodum ſolvendum ratio, quam in ſuperioribus præſtruximus; Si ſcilicet perſonatum Jobum, qualis, noſtrâ ſententiâ, in ſcenam hoc Libro producitur, a vero ſecernas. Verus Jobus meliorem utique exſpectavit vitam; quamvis dogmatis, de reſurrectione carnis, qualis in Evangelio docetur, juxta cum ignariſſimis ſciens. Idem inſuper fiducia temporalis ſalutis, a Deo ſerius ocyus exhibendæ, ſe ſuſtentaſſe & recreaſſe putandus eſt; ſeu arcano inſtinctu in hanc cogitationem actus fuerit, ſeu ex diſerta revelatione hauſerit. Eam vero tali ſermone expreſſit, Spiritu S. cujus arcano impulſui parebat, linguam moderante, qui ſublimiorem intellectum

com-

complecteretur, quàm ipſe pro temporum conditione capere poſſet. Spem videlicet beatæ reſurrectionis bonis omnibus propoſitam. Aureum autem effatum, cum toto oriente percrebuiſſet, ſilentio premere religioni duxit Dramatis auctor. Is, ut Venuſini verbis utar, ex noto fictum carmen ſecutus, dum ſacræ ſuæ parabolæ inventa veris ſtudet intertexere, ſui officii eſſe duxit, nullum ex inſignioribus herois inclyti dictis factisve præterire, iis præſertim, quæ ſuo Poëmati haud ſpernendum Ornatum conferre poſſent. Inter cætera eminet noſtrum vaticinium, quod ipſe Jobus poſteritati conſignatum voluit, quodque ore hominum vulgo celebratum, eo minus ſcriptor omittendum ratus eſt, quod inde ſingularis decor concilietur perſonæ Jobi, quaſſatum adverſis animum egregie ſuſtinentis certa in Deum fiducia, ac ex ἐνθέῳ quodam mentis raptu ea proferentis, quæ poſtmodum fabulæ exitus magno ſpectantium plauſu eſt comprobaturus. Fateor tamen in eo commemorando oraculo id incommodi hærere, quod cum ſumma ratione totius operis minus conſentiat. Clavem enim continet, qua adhibita, magna ex parte divinum in Jobi negotio conſilium recludi

poſſit. Jobi namque è miſerrima in feliciſſimam ſortem emergentis inſtauratio, cum Providentiæ vias vindicet, ἐπίλυσιν præbet ænigmatis, quod nec Jobi amicorum quisquam, neque ipſe Jobus, quicquid agant & moliantur, enodare potes ſunt. Huic tamen incommodo a Vate ſacro quantum potuit obviam itum, dum ſic variæ Jobi & amicorum concertationes inſtruuntur, ut non magis ad vaticinationem hanc reſpiciant, quam ſi minime fuiſſet prolata; quin potius legentis animum in alia omnia trahant.

Ex allatis huc usque argumentis, dummodo ea ſeveriore trutina libraveris, ſatis jam conſtare puto, Oraculum noſtrum, utpote duplici ſenſu prægnans, ad eorum quæ Typica vocantur, cenſum debere referri, qualia in Scripturis frequentia ſatis occurrunt. Quæ cave ſpernas, quaſi ad fidei Chriſtianæ adjumentum eſſent infirmiora. Nam ut hoc obiter addam, Typis ipſis longe præpollent in futurarum rerum adumbratione, typica vaticinia. Typus non niſi obſcuram & mancam ſui exemplaris adumbrationem gerit: at vaticinium typo adhærens, etſi huic in pluribus congruat, vi tamen & energia verborum ultra typi modum exſurgere depre-

prehenditur, ſic ut rem ob oculos pônat præſtantiorem typo. Verbi gratia in Davide & Salomone, Chriſti quandam effigiem agnoſcimus. Uterque enim Chriſto in nonnullis ſimilis, cum dotibus ſuis, aut rebus geſtis aliquatenus retulit. Sed propter naturæ humanæ imbecillitatem, in pluribus adhuc ea ſimilitudo deficit, adeoque infra archetypi excellentiam longe ſubſidunt imagines. Sed enim typica circa Davidem & Salomonem oracula, dum utrumque graphice depingunt, aliquid ſemper celſius admiſcent, ut ex ipſo diſcrimine facillime mens ad Chriſti contemplationem attollatur. Eodem plane pacto circa Jobum res ſe habet. Is enim proſperioris fortunæ aura afflatus, dum a cinere, ſordibus, illuvie, ulcerum tabe, quibus obtectum, ac veluti ſepultum familiares conſpexerant; in ſtatum vegetum, ſplendidum, opulentum ſubito reviviſcit, factus quodammodo alter homo, & ἀναστάσεως ὕος, eâ certe παλιγγενεσίᾳ adumbrat felicitatem reſurrectionis ultimæ. At quando hanc vocem audis: *Enimvero ego novi vindicem meum vivum, eumque noviſſimum ſuper pulverem ſtaturum: & poſtquam cutim meam pertuderint ad hunc modum; omnino ex carne mea adſpiciam Deum, quem ego adſpiciam mihi; oculique mei videbunt & non*

 ali-

alieni. (*a*) Hoc, inquam, θεοπνεύστῳ carmine audito, quis adeo blennus aut ſtipes ſit, qui non ibi cernat carnis reſurrectionem, qualis in Evangelio exſpectanda proponitur, ad vivum expreſſam? aut non illico clamet, ſpiritum ſe agnoſcere Paulinæ παῤῥησίας æmulum. *Scio cui crediderim;* *& confido, quod potens ſit ſervare depoſitum meum ad illam usque diem.* 2 Tim. I. 12. Adeo nempe hunc ſenſum totius orationis δεινότης animo inſinuat, ut ad alterum dilutiorem, non niſi συγκαταβάσει quadam accommodari & deprimi potuiſſe cenſeatur. Meminerimus tamen, ut rectum ea de re judicium ferre poſſimus, & ſenſum illum myſticum ab humiliori dignoſcere, prævia nobis opus fuiſſe Evangelii luce. Quamdiu enim reſurrectionis fides nec diſtincte fuit tradita, nec evidentibus argumentis ſtabilita, proclive fuit, ut modo obſervabamus, ipſa rei incredibilitate mentes in alium probabiliorem verborum intellectum propelli, & pro tropicis atque hyperbolicis ſumi, quæ maxime propria ſunt.

Inde puto factum, ut Magiſtri Judæorum, ad quos ſera admodum hujus dogma-

(*a*) *Alb. Schultenſii* verſionem adhibeo, quâ, ubi bene, nulla melius.

matis pervenit notitia, Jobæo nunquam ad illud probandum teſtimonio uſi ſint, ſenſui nempe liberationis temporalis inde a longo tempore acquieſcere ſueti, majora ſub cortice latentia inveſtigare neglexerunt. Quod idem vitium ſæpius Interpretum Chriſtianorum fuit, ob minus perſpectam typicæ vaticinationis rationem. Noſtra tamen ſententia magnorum Interpretum auctoritate ſe tuetur, qualis eſt D. Hieronymi, qui Jobum hic typum fidelium gerere, diſerte agnoſcit Qualis etiam magni Calvini noſtri, qui ut ad ſenſum liberationis temporalis totus inclinat, ſic tamen in Commentario fluctuat incertus, ut ſublimiorem ſenſum cum alio ſimul complecti velle videatur. Adeo mentem Viri ſummi perculere rationes in utramque partem trahentes; licet de natura hujusmodi Oraculi typici, & neceſſaria utriuſque ſenſus connexione, diſtincte non cogitarit. Id vero commodi habet noſtra ſententia, quod dum ambas expoſitiones admittit conjungitque, argumentorum, quæ pro unaquaque adferri ſolent, robur amico fœdere conſociet; dum contrà eorum, quæ utrique ſenſui ſeorſim opponi ſolent, vim omnem diſcutit & amolitur.

Cæterum mentio de Judæis recentiori-

bus injecta, quos conſtat ſerò admodum de reſurrectione ultima cogitaſſe, neque, pauciſſimis exceptis, tale quid in oraculo noſtro quæſiviſſe, me quæſtionis ſatis difficilis admonet, quam ſolvere operæ pretium erit, antequam finem huic tractationi imponam. Sæpius quæſitum eſt, unde fiat, ut proximis ante Chriſtum natum temporibus, dogma illud ἀναστάσεως Judæis demum innoteſcere cœperit; dum antiquis Patribus ſub V. T. nuſquam celebratum appareat; denſiore velo, nimirum typicarum promiſſionum, involutum. Hujus cauſa fuiſſe videtur craſſa hominum, ſenſibus debito addictiorum, ignorantia. Obtinuit quidem apud omnes pios, quotquot a mundi primordiis vixerunt, adusque promulgatum toto orbe Evangelium, melioris poſt hanc vitæ exſpectatio, quæ ſi tollatur, nec rectus de Deo ſenſus conſtare poteſt, neque ei cultus reddi, qui ejus majeſtati congruat. Tam præclaram ſpem cum ipſa jam Ratio inſinuaret, fœdus a Deo cum humano genere initum, cum Noacho, Abrahamo, cæteris patriarchis recentatum, potentius confirmavit: quando ſe non eorum tantum, ſed prolis quoque ab iis ſuſceptæ Deum fore ſpopondit. Id autem primævos patres de animorum immortali extra corpus beati-

beatitudine interpretatos, credibile eſt; utpote quos ſanior Philoſophia, partim ex propria commentatione, partim ex primi parentis traditione hauſta, humanæ mentis veram naturam edocuerat. At illud lumen apud degeneres poſteros, carni & ſenſibus mancipatos, vulgo extingui cœptum, diſcrimenque animi a corpore ſenſim obſcurari. Inde porro contigit, ut a captivitate Babylonica reduces Judæi, cùm variis ærumnis ſe preſſos cernerent, nec terrena, cui unice inhiabant, felicitate fruerentur, a littera legis ad myſticos ſenſus reſilire, & aliam ab hac vitam cogitare cœperint. Sed qualem ſibi vitam imaginarentur homines mentem a corpore ſecernere neſcii, niſi corpoream non tantum, ſed huic noſtræ omni ex parte ſimilem? Unde factum ut ea ſpes, ἀναστάσεως, aut ἀποκαταστάσεως πάντων nomine venerit. Unius Chriſti fuit, capitalem doctrinam a pinguioris carnalium Judæorum philoſophiæ fæcibus expurgare, melioriſque vitæ amplitudinem, vim, indolem a terrena hac noſtra toto cœlo diſcrepantem aperire. Equidem contra Sadducæos ſatis habuit, generalem & involutam, quæ a Phariſæis defendebatur, anaſtaſeôs notionem Scripturarum adſtruere teſtimonio;

ſed

ſed ſuos inſtituens Diſcipulos, longe plus præſtitit. Docuit enim primum, animas piorum poſt funera ſeorſim a corporibus vivere; deinde & corpora quondam divina efficacia revictura, ut ſuis animis æternum coaleſcant. Quo vim Jobei vaticinii omnem tendere, quisquis Chriſtianam doctrinam didicit, facile perſpiciet.

O B-

Google

OBSERVATIONES
MISCELLANEÆ.

IN JOBI CAPUT I.

Vs. 5. *COnſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis*]. Hinc infert Noſtri interpres diligentiſſimus Codurcus, Jobum ante legem per Moſem latam vixiſſe; utpote qui victimas offerret Deo, ex patriarchali jure & conſuetudine, quales oblationes poſt latam legem extra Tabernaculum fieri nefas. Quod Jobus ante Moſem fuerit, ſuperioribus, credo, ſatis evicimus. At ratio, quam urget Codurcus, plane infirma. Quis enim non videt Jobum, qui Idumæus fuit, aut Arabs potius, ex Nachore forte, aut ſaltem Abrahamo, per Cethuram genus repetens, ejuſmodi lege, ſolis Jacobi nepotibus data, teneri non potuiſſe; uti nec alios ubivis gentium veri Numinis cultores, quales paſſim his temporibus ſuperſtites fuiſſe credibile eſt, qui Noachicæ inſti-

ſtitutionis retinentes, Legiſque forte apud Sinam latæ prorſus ignari, tali cultu rite & pie exhibito, Deo accepti fuerunt. Negat id doctiſſimus Spanhemius *Hiſtoria Jobi* IX. 5. & neceſſariam inde duci vult conſequentiam pro antiquitate Jobæi ævi ſupra Moſem. Verum quæ adfert loca, de ſacrificiis extra Tabernaculum vetitis, eos tantum advenas ſpectant & extraneos, qui in ſolo Iſraëlitico vivebant, ut patet ex Levit. XVII. 10. resque populum electum proprie ſpectabat. V. Deut. XII. 5, 6. Neque confluens, poſt diſperſam gentem, ex omnibus terrarum oris Hieroſolymas, tanquam ad locum ſacrificiorum, multitudo aliud probat, niſi quod ibi Deus propriam cultus & Religionis ſedem elegerat.

Vs. 8. *Numquid conſideraſti ſervum meum Job?*] in Hebr. השמת לבך. Dilutior Schultenſio videtur ſenſus Interpretis, quaſi quæreret Deus, animumne advertiſſet Satanas ad Jobum, ejusque eximiam plane pietatem. Nullus miror Viro doctiſſimo ſimplicem expoſitionem parum arriſiſſe, qui fervidiori nempe ingenio obſecutus in unoquoque fere S. Scriptoris apice prægnantiſſimos ſenſus, ſignatiſſimas emphaſes venatur, & energias intenſiſſimas ubique quærere amat. Sic igitur enarrat:

An

An affectum quoque & impetum hoſtilem direxiſti in Jobum? Luculentiori, ut ipſi videtur, interpretatione, quam firmat ex Satanæ reſponſo, verſu ſeptimo, ſe redire prædicantis משוט הארץ a graſſando in terra, eamque perſultando & flagellando. „ *Ecquid eum ut violentus graſſator invaſiſti?* „ Sic erit Sarcasmus quo jactantia Satanæ „ retunditur, qui verſu præcedenti terram ſe perſultaſſe, & mala multa mortalibus intuliſſe gloriabatur. Sic erud. Schultens. Sed parcant manes viri doctiſſimi, ſi dixero, hac emphaſi illata ſenſum fundi plane alienum. Quid enim? percunctabitur Deus Satanam, num id fecerit, quod neque fecit, nec facere omnino potuit; utpote tanquam catena revinctus, ac ne attingere pios auſurus unquam, niſi frena laxante Deo, quod & in fine notæ ſuæ Schultenſius ipſe diſerte fatetur. Conſiderare certe, & attentius Jobum circumſpectare potuit Satanas (*a*) orbem perambulans; lædere autem, venia hujus rei necdum conceſſa, non potuit. Quo ſemel poſito, verba ſic reddita frigidam,

(*a*) Sic idem apud *Job. Miltonum* deſcribitur, terrarum orbem per octiduum peragrans, viam indagaturus qua efficacius Adamo inſidias ſtruat. Ideam, ni fallor, ex noſtro hocce loco deſumſit Poëta inter hodiernos facile princeps. *Parad. loſt.* B, IX. ỳ. 58. &c.

dam, Deoque prorſus indecoram ironiam complecterentur, Vereor ne huc deduxerit acutiſſimum Interpretem anxius profundarum *Originum* amor, & abſtruſiores atque complexas vocum ſignificationes ex Arabiſmo petitas venditandi immenſa cupido, eique ſuggeſſerit, cæteris Interpretibus ne per nebulam quidem viſum; Satanam ſcilicet a longo jam tempore Jobo imminuiſſe, omnibusque machinis & Viri fortunas, & conſtantiſſimam pietatem, pervertere conatum. De qua nihil quicquam usquam ipſe Jobus, nec Hiſtoriæ Scriptor.

IN CAPUT II.

Vs. 9. *Dixit autem illi uxor ſua* &c.] Uxoris illius verba mirum in modum amplificat LXX. Seniorum quæ dicitur Verſio. Difficile dictu, unde hanc laciniam hauſerint, ut & cæteras, quas Hebræo textui paſſim adſuere auſi ſunt. Mirabilius autem, quam ſollicite, quamque impenſo ſtudio Interpretes nonnulli, in quibus Coccejus, ejusque admirator ſummus, *Albertus Schultens*, huic mulieri patrocinatum eunt; quaſi nefas foret, de pietate ejus, & religioſo animo ſubdubitare; qui ne marito quidem de ipſa credere

dere volunt, eam ſtultiſſimis ſui ſexus ſummo ſuo merito accenſenti, & (*a*) impias deſipientis voces fortiter, ut par erat, redarguenti. Id nimirum effecerunt ea arte adhibita, qua verbis ſemel è nativa ſignificatione depulſis, & per fidiculas detortis, cuivis orationi ſententiam, quæ allubuerit magis, affingere valemus. Itaque Coccejus, pro convicio & aculeata inſectatione, admirationem hîc videt inauditæ conſtantiæ, atque firmi ad mortem uſque in Religione propoſiti. Sic ſentientem uxorem, ad eum Jobus, quem legimus, modum increpaverit videlicet! Et tamen ea Schultenſius *probabiliora* ducit, *quam quæ alii comminiſcuntur*, inquit, *de blaſphemia adverſus Deum evomenda, & violenta ſibi conſciſcenda morte.* Verum talia eos non comminiſci, clamant ipſa verba. Quomodocunque enim τὸ ברך intelligas, aut bene, aut contra maledicendi ſenſu; [quo ultimo ter quaterve jam hîc uſurpatum,] aut leniore demum, valere jubendi, omittendive; eodem res redit, quod ad mentem mulieris ſpectat, quæ

(*a*) *Amaros Sermones* vocat Chryſoſtomus, ac cæteris, quæ Viri conſtantiam aſſultaverunt, malis accenſet: ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι τὰ πικρὰ τῆς γυναικὸς ῥήματα, καὶ οὐκ ἔπεσεν ἡ οἰκία οὐκ ἐπισκελίσθη ἡ ψυχὴ &c. Statuar. Hom. IV. tom. VI. ed. Eton. p. 485.

quæ ſive proprie, ſive per ironiam eſt locuta, viri pietatem deridet, ipſique nihil profuturam virtutis atque Religionis conſtantiam exprobrat, amariſſimo cum joco. Unde manifeſtæ impietatis comperta tenetur. Tantum abeſt, *ut piam & religioſam fuiſſe omnia ſuadeant.* Quas immeritas laudes ipſemet Schultens, propria imprudens enarratione refellit. Sic enim ipſe maleſanæ mulieris ſermonem παραφράζει. *Num adhuc retineas tuam integritatem? Ecquid adhuc Religionem dices eſſe certiſſimum fundamentum noſtræ felicitatis? tu qui ea ferventiſſime ſervata eradicatus es, & funditus periiſti.* — „ Niſi malis aſſeverationem „ ironicam eodem plane redituram, hoc „ pacto. " *Adhuc tu retines tuam integritatem. Vincit nunc Religio, & felices præſtat, ſcilicet, integros ſui cultores; ac propterea merito etiamnum in ea omne præſidium tuum collocas.* „ In quo fermento indignationis, „ ob Religionem & virtutem tam acerba „ ſubire coactus, ſubjungit porro: *valere* „ *jubeas Numen & morere.* " Hem! optime Schultenſi! quid cenſes? hæccine a pia & religioſa mente ut profecta ſint! ab ea, quam Numinis reverentia tactam omnia ſuadeant! *Nihil*, inquit, *in his verbis, quamvis impatientiæ plenis & reprehenſione dignis, quod directe pugnet cum charactere pro-*

probitatis. Itane vero? *pietatem* quidem nominare non auſus, *probitatem* nunc caute ſubſtituis. At parum id te juvat. Qualem igitur nos probitatis ideam animo informare jubes? ejusmodi videlicet, quâ ſalva exiſtimabimus, res humanas cæco potius volvi fato; ac proinde non eſſe quod ſummo Numini probum improbumque juxta habenti, tam intenſus fervidusque cultus deferatur. Ipſiſſima, quis crederet? verba deſcribo enarratoris officioſi, quibus duriuſculam matronæ, ſi Deo placet, ſanctiſſimæ orationem, quâ poteſt, emollire tentat. Talia autem cenſes, ô bone! muliebri impatientiæ & imbecillitati condonanda? ullove pacto cum probitate animi, atque in Deum pietate conſentire poſſe? Quid, quæſo, aliud Atheus velit; quid ab omnis Religionis ſpretore & Numinis hoſte infenſiſſimo contumacius dictum proficiſci queat? Quid Deum abnegare eſt, & blaſphemiis impetere, ſi hoc non eſt? At, inquit, duriores adhuc voces Pſalmo LXXIII. 11, 12. & alibi proſtant. Error irrepſit in allegatione loci; nam, quæ his verſibus leguntur, impiorum voces ſunt, in bonos ſibi quidvis licere putantium. Quæ vero Vir clar. revera in animo habuit, verſibus 13 & 14. contenta, ea quidem effutiit Pſaltes; ſed

tum ſe vera in Deum fide caruiſſe fatetur, imo obbrutuiſſe, & vere jumenti inſtar erga Deum fuiſſe. Recte porro monet Schultenſius, bonorum ærumnas tentationem eſſe, quæ fortes quoque in fide viros quaſſavit nonnunquam. Quaſſaviſſe fateor, attamen non ita fregit, ut a fide deſciſcerent, & omni circa divinam providentiam perſuaſione ejerata, in apertam, ad hujus mulieris exemplum, impietatem erumperent. Pergit commentator noſter, eodem fœdum ulcus incruſtandi, & ſtrumam, ut Tullius ait, dibapho obtegendi animo. Sic enim paraphraſin ſuam inſtituit. *Valere jubeas Numen*, (Sic τo ברך accipi vult:) *exſolvas te cura Religionis, qua hactenus Deum tanquam virtutis remuneratorem, & ſcelerum vindicem ſuſpexiſti, & ſuſpiciendum omnibus inculcaſti. Miſſa fac cuncta iſta præcepta ſeveræ pietatis, & nullum alium fructum virtutis tuæ exſpecta, quam ut brevi ſub atrocibus hiſce & ignominioſis plagis miſerum ſpiritum exhales.* Iſthæcne vero erit oratio, quam graviori reprehenſioni exemptam cenſeas? O præclarum pro fœmina inſigniter religioſa apologeticum! qui ſi probabilis forte Schultenſio viſus eſt; at non itidem certe ipſi Jobo, longe diverſa de Deo ejusque providentia ſentienti, & impotentis mulie-

lieris furorem gravi increpatione caſtiganti. Quem fere dixeris haud illuſtrius patientis animi ſpecimen edidiſſe, quam quod miſeriis ſuis tam importune illudentem, ac ſimul Numen ipſum impetentem contumeliis, placido reſponſo excipiat, juſtam indignationem cohibens, ac non potius pugno impacto impurum os frangat.

Qui præter Schultenſium alii, Jobi uxorem excuſare nituntur, nimii affectus impatientia & doloris æſtu abreptam ea effudiſſe volunt; quæ inconſulta licet & valde improbanda, non ultra ſcopum tendi, aut nimium ſevere urgeri par eſt. Ad hæc incredibile eſſe ajunt, fœminam probe, ut conjicere licet, inſtitutam, & ex talis viri conſortio recte ſentire de Deo edoctam, tam immania monſtra animo foviſſe. Quibus reſpondeo, haud raro reperiri ejusmodi ingenia, quorum bracteata eſt Religio; quæ cute tenus aliqualem pietatis colorem imbiberunt, ac ſub fidei pelle decora inolitum pravæ menti vitium obvolvunt. Ea, tantiſper dum nulla tentatione explorantur, externa ſpecie fallunt oculos; ſed mutatis temporibus, aut ingruente calamitate, tanquam ad lydium lapidem, prodito, quod intus latebat, vitio, in apertum ſcelus pro-

rumpunt. Citò namque exareſcere oportet virtutum ſemina quæ in animo radices non egerunt, quemadmodum docet Chriſti parœmia Matthei Cap. XIII. Sic maleſana illa Jobi conſors, in id minime ipſi conciliata, bifidam linguam, ξίφει διςόμῳ conſimilem, hinc in maritum, inde in Deum opt. max. evibrat, ſatisque docet, furens quid fœmina poſſit. Etenim quo eam animo eſſe cenſebimus? quæ cùm, utpote vitæ Socia, bonorumque juxta & malorum particeps, horum ſenſum cum conjuge partiri, ejus ærumnas blando ſolari alloquio, & ſedulis officiis levare debuiſſet; contrà nec ejus, mœrore confecti ac ſub malorum undique ingruentium pondere fatiſcentis, miſericordia tangitur; neque Deum, ut conjicere proclive fuit, domui ſuæ iratum, demiſſo typhone veneratur ſupplex, aut deprecari & exorare aggreditur, quin potius ſollicitat virum ut ejus cultum deſerat, debitamque reverentiam excutiat, ipſi lingua κεῤῥόμῳ novum, & quidem reliquis acerbius infligens vulnus, & ut furiarum maxima juxta accubans. Quod ſi cui forte iniquior videatur, aut nimium aſpera, quam de iſta muliere ſententiam tulimus, is ſciat magnos nobiſcum facere Interpretes, & in ejus tanquam *impiæ* & *ſtultæ*, ut vocat

Co-

Codurcus, meritam vituperationem denſo agmine conſentire. Chryſoſtomus nuncupat *Secundam Evam.* Spanhemius, *Xantippem*; vix dubitans, quin felicitatis reducis, & plenæ reſtitutionis Jobo pars fuerit, redire potuiſſe ad ſecunda vota, mala cruce ſublata, niſi forte relicta cenſeatur, tanquam σκόλοψ ἐν σαρκὶ, aut nimiæ alioqui proſperitatis temperamentum; ut medio de fonte leporum amari aliquid ſurgeret. Nuperrimus autem Warburtonus Diabolum exiſtimat hujus mulieris compotem factum, ejus linguam in mariti contumeliam acuiſſe. Quam diverſi omnes a Schultenſio! *Div. Legat.* B. VI. p. 518.

Vs. 10. *Mala quare non ſuſcipiamus?*] לא נקבל Explicat Cl. Schultens poſt Coccejum, quem præ aliis ducem ſequi amat, *non grataremur? non gratanter acciperemus?* οὐκ ἀσπαζοίμεθα, ſignificatione quoque ex Arabiſmo firmata. *Id lucem fert & gratiam,* inquit, *ut mala quoque ipſa geſtu gratabundo excipienda dicat miſeriis adhuc ſuis major Jobus.* At ſi quid judico, emphaſeôn hunc, quas miſere deperit, amor in devia rapit, dum Jobo ejusmodi adfectum tribuit, qui noſtræ plane naturæ repugnat; ut mala ſcilicet & acerbiſſimas calamitates grato lætoque animo accipiamus. Hoc vero Myſticis relinquendum, qui ethicam re-

coquendo pervertunt, in cogitationibus ſuis μετεωριζόμενοι & ἀεροβατοῦντες. Vere piis ſufficit, ſi ſe in adverſis voluntati divinæ ſubmittant, & mála quævis patienter & fortiter, absque ulla murmuratione tolerent. Nam quod Chriſtus dominus Diſcipulos *in afflictionibus exſultare* jubet, Matth.
Rom. V. 3. VI. 23. & Paulus profitetur ſe in iis *gloriari*, hoc altius ſpectat, ad futuri nempe præmii ſpem, quo ſeſe Evangelii miniſtri, dum ejus ſtrenue cauſam agunt, ac pro eo fortiter pugnant, confidunt olim donatum iri. Alia Jobi cauſa & ratio. Quare קבל hic æque ad bona & mala relatum, ſimplici accipiendi notatione ſumendum. Niſi forte pertendis inde derivatam Judæorum קבלה, *traditionem* notare, *geſtu gratabundo* a Moſe & Senioribus Iſraëlis acceptam.

IN CAPUT III.

Vs. 3. *Pereat dies in qua natus ſum.*] Dira hæc Natalis execratio, Viro ſanctiſſimo doloris æſtu expreſſa nihil nos magnopere ſollicitare debet. Unde diſcimus in præſtantioribus animis non uſque adeo valere Religionis ſenſum, ut ab omni tentationum impreſſione intactos atque invictos præſtet, neque prohibere, quominus aliquâ ſe prodat carnis infirmitas.

tas. Fruſtra id Codurcus palliare nititur, & culpa immunem Noſtrum pronunciat; pro nativitate ipſa, feſtum natalium diem, quotannis recurrente circulo celebrandum, intelligi volens; quaſi anniverſarii illius deteſtatio, ab ipſius, qua in lucem primum editus eſt, Diei exſecratione multum differret. Sed enim hac mera vis eſt. Ab alia parte doctiſſimus Schultens immerito Clericum carpere videtur, quoniam is inde colligit, Jobo parum certam & dilucidam vitæ futuræ ſpem fuiſſe; eo argumento fretus, quod quisquis beatam vitam exſpectat, is nunquam optat ſe in rerum natura non fuiſſe. *Recte ſane*, excipit Leidenſis Enarrator, *ſi Ratio loquatur, non affectus, ultra quam dici poteſt commotus, atque haud ſecus ac mare, omnibus procellis jactatum, tumens ac æſtuans. Si ratiocinatio Viri Doct. ſtat, nemo futuræ vitæ ſpem fovens eouſque vi dolorum æſtuantium unquam poterit abripi, ut acerbius ſortem ſuam deploret. Duram profecto regulam, ad quam nemo vellet ſpem fidemque ſuam explorari!* Utinam vero Doctiſſimus ille Vir, qui aliàs tanto arguendi robore valet ad pervincendum Verum, ad legitimas ipſe ratiocinandi regulas ſuum illud reſponſum exploraſſet diligentius, nec Sophiſmatis, quod *ignoratio elenchi* dicitur, argui poſſet!

ſet! Jam dudum noveramus, eo etiam non docente, melioris vitæ fidem & ſpem in tantum non valere, nec eouſque affectibus imperare, quin Chriſtianus homo ad Jobi inſtar ærumnis exercitus, acerbius ſortem ſuam deploret, quin & mortem ipſam ardentius exoptet. At cum celeberrimo Clerico fidenter dicimus, cui ſemel talis ſpes inſederit, nunquam in ejusmodi vota erupturum, ut ſe natum doleat, & vitam propriam exſecretur. Advertere enim oportuit, in eo vim argumenti ſitam; ne tam levi brachio ſe illud retundere poſſe Schultenſius confideret. Si quis ex animo Chriſtianus, arthritidis aut calculi torminibus excrucietur, quid aget? ejulabit, credo, miſeros queſtus edet, vicem ſuam flebilibus modis lugebit; quin & mortem (*a*) ſæpius, miſeriarum terminum exoptatiſſimum, in ſubſidium advocabit, & tardantem incuſabit; at ipſi in mentem veniet nunquam, ut ſe in dias luminis auras editum pœniteat, & ab exiſtentium rerum albo eraſum velit. Ratio eſt in promptu: quippe perſuaſum habet, alteram ſibi ab hac vitam, & quidem beatiſſimam ſupereſſe. Mortem ſane ambiat, &

(*a*) Sic ipſe Jobus infra VII. 15, 16. Vide quoque quæ Codurcus egregie diſputat ad Cap. VI. 8, 9, 10.

& quàm citiſſime miſero ſubvenire precetur; boni eam tunc maximi inſtar habet. At non optabit ſe nunquam exſtitiſſe, quo ſibi æterni boni ſpem omnem præciſam ſciat. Nihil ejusmodi ei in mentem cadet, nedum ut mente conceptum φύγοι ἕρκος ὀδόντων, niſi dolorum ipſum violentia ratione exuerit, mentisque impotem fecerit. Ægro certe, ſimilia jactanti, ſi quis Presbyter aſſideat, officio deſit, niſi graviter increpet, & ſeriis monitis ad ſaniora reducat. Ex quibus liquere puto, cùm Jobus mente captus non foret, dum talia decantaret & paratragoediaret, ipſi, ſi, quæ hoc libro prodita, revera ſit effatus, [quod tamen longe ſecus ſe habere, aliaque ſenſiſſe verum Jobum ſupra adſtruximus;] exiguam de ævo futuro ſpem, aut nullam potius, inſitam fuiſſe. His addo, parum conſtanter, aut ex perſonæ decoro rem inſtituere Schultenſium, qui, cùm modò Jobum mala ſibi divinitus immiſſa *gratanter geſtuque hilari* accipientem induxiſſet, eundem nunc, dum in voces erumpit, indices impotentis animi, nullamque futurorum exſpectationem habentis, eas vix excuſationis egere vult, nosque iis offendi vetat. Ultro fateor, affectu ſuperante, & ad tempus frenum quaſi mordente, multa incondita, temeraria, inconſulta,

ſulta, excidere debere. Sed ponamus, Chriſtianum ſummis in doloribus aut anguſtiis verſari; ſi ſit tamen, ut Schultenſius de Jobo ait, ſapiens, fortis, in Religione fundatiſſimus, nihilo ſecius, imò tanto magis, in ipſius ſermonibus, ſpes illa melior eminebit, atque interlucebit; quod ea tum unicum ſit, idemque ſummum in præſentibus malis ſolatium.

Vs. 6. *Non computetur in diebus anni*]. Hic alludi merito ſuſpicatur Dodwellus ad ſuperſtitioſum Veterum morem, qui dies funeſtos aut atros, quibus calamitoſum quid vel reipublicæ, vel privatis hominibus, acciderat, ex faſtis expungebant, exemptiles illos dies, facta alio anni tempore intercalatione, ſupplentes. Vide Dodwel, *de Veterum Cyclis*, Diſſertatione VII. Noti ſunt Papin. Statii verſus; *Excidat illa dies ævo* &c.

Vs. 14. *Cum Regibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.*] Probabiliter Pineda interpretatur de ſepulchris, in ſolitudinibus extrui ſolitis, qualia Chardinus paſſim deſcribit in Arabia & Perſia. Acute Capellus, de prætoriis, aut vaſtioribus ædibus unius Principis incolatui deſtinatis. Mirum vero, ni Schultens hìc energias cogitaſſet intenſiſſimas. Ipſi *ædificare deſolationes*, poſitum pro, deſtructionem mortis ex-

exſtruere quaſi, & pro ſepulchris mortuorum exædificare monumenta vivorum veluti, in quibus magnifice decumbentes, quodammodo immortales facti eſſe videantur mortales.

IN CAPUT IV.

Vs. 3. *Ecce docuiſti multos* &c.] Nempe hic uſu venit illud Terentianum: *Facile omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis damus.* At certe majorem in modum decet, qui alios monent, dare operam, ut ſuis ipſi præceptis obtemperent: ni faciant, dupliciter reprehendendi. V. Roman. II. 1, 17--23. Hinc eſt, quod Paulus Diſcipulum jubet ἑαυτὸν τύπον παρέχεσθαι καλῶν ἔργων, ad Titum II. 7.

Vs. 6. *Ubi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?*] Male ſic Vulgatus reddidit, & ad Hebræa parum expreſſe; הלא יראתך כסלתך Schultens, ex peculiari notatione, quam τῷ לא affingere amat: *adeone nihil pietas tua?* &c. Neſcio an ſatis molli flexu. Pejus LXX. viri, quos tamen Capellus ſequitur, כסלה ἀφροσύνην verterunt. Melius longe, ni fallor, Genevenſes; *ta crainte* ou *ta pieté n'a-t-elle pas*

pas été ton eſpérance , & l'integrité de tes voyes ton attente? Vis enim ſententiæ, ipſaque res clamat, tranſpoſitionem in textu agnoſcendam, difficile dictu, Scribarumne errore, an ex occultiore metri lege, quæ nos hodie fugit; pro, ותום דרכיך תקותך. quæ genuina verborum ſeries, ut principio verſiculi finis reſpondeat. Senſus eſt, „ quo tu jure cum conditore tuo expoſtulas? quid nos querelis tuis exanimas? „ Nempe in tua innocentia cauſæ præſidium collocaſti: Sed eam te falſo obtendere, improviſa qua proſterneris „ ruina comprobat. Sequens verſus aperit Eliphaſi ſententiam, quæ talis eſt: Caſus quidem adverſos obtingere nonnunquam probis & piis; inf. V. 15, 16. quod nemo rerum humanarum gnarus, ac vita magiſtra uſus, ibit inficias: Sed probum, & Dei ex animo cultorem, neutiquam fieri poſſe ut funditus pereat: adeoque Jobum cujus res conclamatas ſibi perſuadebat, quemve ex tam alta calamitatum voragine nunquam emerſurum augurabatur, pietatis ſimulatorem tantum, atque introrſum turpem; & ſi externa ſpecie, tanquam pelle decora, hominibus impoſuiſſet. Quod acerbum judicium eo tuetur argumento: optimi Numinis juſtitiam non ſine-

ſinere, ut Bonis in hac vita prorſus male ſit; eos quidem tentari malis, at non æternum obrui poſſe. Quod ultimum Jobo contigiſſe, jam pro indubitato ſumebat.

Vs. 13. *In horrore viſionis nocturnæ.*] Hebr. בסעפים eadem vox occurrit Pſalmo CXIX. 113. סעפים שנאתי ubi Hieronymi verſio, *tumultuoſos odivi*, Vulgata autem antiqua habet, *iniquos odio habui.* Melius alii, *cogitationes varias.* At vide Codurci acumen! ex hoc Pſaltis dicto viſionis Eliphaſo oblatæ auctoritatem elevat. Cui ſuffragatur Schultens, dum ex Arabico docet vocem hanc notare affectum inſanum & vehementem, ubi & Pinedam citat, qui a סעיף ramo deducit & recte quidem. Cogitationes ſignabit implexas ac veluti ramoſas, ſibique invicem innexas & multifidas. Felici certe metaphora nam cogitationes a mente germinant & effloreſcunt, veluti palmites a trunco.

Vs. 19. *Conſumentur velut a tinea*]. לפני עש optime Schultens, ad *inſtar tineæ*, cujus locutionis exemplum luculentiſſimum adfert 1. Sam. I. 16. Licet aliorum quoque interpretatio defendi poſſit, *ad occurſum*, vel *coram facie tineæ*. Sic ad corporis humani fragilitatem notandam, poſtquam illud luteis caſis aſſimilavit, nova ſed laten-

tente tranſlatione ſuperinducta, veſtibus comparat quæ deterantur uſu, quasque tineæ rodunt & exedunt. Quemadmodum de locuſtis Joël. II. 3. *Coram facie ejus ignis depaſcitur* לפניו אכלה אש. Eadem metaphora expreſſius recurrit infra, XIII. 28. qui locus hunc noſtrum mire elucidat, conjunctim cum Pſal. XXXIX. 12. ubi libentius de panno a tinea eroſo, quam de ipſius tineæ eliſæ conſumptione ſumſerim. Adde Eſai. LI. 8. qui priorem ex duobus ſenſum confirmat. Sic Pſalmo CII. cœli ipſi veſti detritæ comparantur. Haud inſolens autem Scriporibus S. diſſimiles metaphoras eodem Sermonis tenore connectere. Adi ſis notam Alex. Mori ad Hebr. VI. 19. cæterum his plane conſona profert idem Eliphas, infra XV. 14—16. perſpicuus utrobique ſenſus. Si tam parum Deus Angelis ſuis tribuit, perfectioribus naturis, quanto minus infirmis mortalibus tribuat atque ὐτιδανοῖς.

EXCURSIO

Circa viſionem Eliphazi Job Cap. IV. vs. 12. & ſeq.

COmitem me libens non addam Interpretibus, qui mendacii Eliphazo dicam

Digitized by Google

cam impingunt; inter quos inſignis eſt Codurcus acerbe in Noſtrum declamitans, quaſi viſionem nocturnam ſibi oblatam comminiſceretur, Oraculumque Deo, a ſe confictum, obtruderet. Tantum vero abeſt ut huic ſuccenſendum putem, quin contra, θεῖον ὄνειρον, & χρησμὸν e cœlo delapſum, utpote Deo digniſſimum, remque totam ex vero proditam narrari cenſeam. Talibus nempe inſomniis vetuſtioris ætatis pios, veroſque ſui cultores haud infrequenter Numen dignabatur. Id ſuadet primum argumenti, quo ſublimius cogitari nequit, ipſa dignitas. Deinde modus viſionis, ſacrum quendam horrorem incutere aptus, & divinæ majeſtatis ſenſu percellere: Qui cum revelationibus, quas Patriarchæ in ſomnis identidem acceperunt, miram adfinitatem præ ſe fert. Non joco apud amicum agere Eliphaſum, aut tropo quodam & parabola uti voluiſſe, credibile eſt. Multo minus mendacio niti, ad tuendam ſententiam. Rem nude refert, quæ ſibi contigit, eamque ſic minute narrat, ut ſibi fidem ab audientibus haberi ſuo quaſi jure poſtulet. Præmittitur procemium reliquæ orationi congruum; unde aliquid magni exſpectare par eſt. Audis omnia auguſta & ſolennia. ואלי דבר יגנב, quaſi *furtive ſuſcepit auris mea;*

Gen. XV. 12. Dan. VII. 1, 28. X. 8, 9. inf. XXXIII 15. verba Elihu.

& particulam vel *pauxillum accepit.* ותקח אזני שמץ, velut ex adyto quodam *obſcura vox* & *ſuſurrus* ad aures accidit. *In cogitationibus variis & viſionibus noctis, dum alto ſomno premerer*, tunc inſolitus me pavor corripuit. Contremui totis artubus, ſtetere comæ, & vox faucibus hæſit. Similis effectus inſomniorum cœlitus immiſſorum apud Danielem cernere eſt. *Spiritus coram me tranſivit.* Per *ſpiritum* Ventus intelligi poteſt. Ventus itidem, isque procelloſus, præceſſit in viſione Moſis & Eliæ, Symbolum præſentiæ divinæ. Ad hunc ſtrepitum, inquit, *inhorruerunt pili carnis meæ.* Coram oculis adſtitit *ſpecies*, quam dignoſcere non potui דממה וקול אשמע *auram & vocem audiebam.* [דממה auram lenem aut ſuſurrum notat, oppoſite ad *vocem*, quæ clare auditur. Eſt vox ſubmiſſa, murmur tenue, ſtridulus ſonus.* Sic in viſione Eliæ. 1 Reg XIX. 11—13. lenis ventus ſubſequitur procellam, qua rupes diffinduntur; & ex illo leni vento Deus prophetam compellans auditur.] Nunc Oraculum audi.

Confer Exod. XXXIII 18--23. οἱ Ο, αὔραν καὶ φωνὴν habent.

Numquid homo comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce non fidit ſervis ſuis; aut ut habet Vulgatus; *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Symmachus habet:

is.

ἐν δούλοις αὐτοῦ ἀβεβαιότης καὶ ἐν ἀγγέλοις αὐτοῦ εὑρήσει ματαιότητα. LXX. verterunt *κατὰ δὲ ἀγγέλων αὐτοῦ σκόλιόν τι ἐπενόησεν.* Hæc vulgo de ſumma Entis perfectiſſimi ſanctitate, quacum collata ſordeat Angelorum laudata puritas; nedum ut miſeri mortales coram eo juſtitiam ſuam venditare audeant, aut eo judice puri cenſeri. Non diffiteor, bonum hæc ſenſum fundere, Confer
quandoquidem Deus ſic Creaturas ſuas Jerem.
antecellit, ut nulla perfectionum inter eos XVIII.
collatio iniri poſſit. Sed aliud quid hîc 6. Rom.
magis reconditum latere ſuſpicor. Ac IX. 20.
primo ſcrupulum movet, quod dicatur Deus *non fidere ſervis* ſuis, aut *eos ſtabiles non invenire*, & in Angelis *ponere pravitatem.* Scio recentiores Verſiones id emollire conatas, reddendo תהולה *lucem, Splendorem.* Vavaſſor reddit, *non ponit laudem*; negativa particula a priore membro reſumpta, ut ſit, *il ne ſe loüe point d'eüx.* Sed vides, quam coacte, cum תהולה *ſtultitiam* proprie, aut *pravitatem* ſonet. Quicquid ſit, non quadrat hoc elogium cum Pſalmo CIII. vs. 20, 21. ubi Angeli, tanquam fidi Dei miniſtri deſcribuntur, ad quævis juſſa capeſſenda parati; cumque aliis Scripturæ locis, ubi eorum conſtantia, fides, in obtemperando alacritas prædicatur, Deusque tantam in iis fiduciam reponere dicitur,

 ut

ut iis negotia ſua mandet, & procuranda committat. 2. Collatio hîc Angelos inter, atque homines inſtituta, nonnihil claudicat. Cur enim, quæſo, ut homines probet ſibi juſtitiæ laudem coram Deo vindicare non poſſe, Angelos ad partes vocat, & præſtantiam naturæ angelicæ præ humana memorat; cum homo, qui peccati labe inquinatus, a priſtina integritate deſcivit, hoc ſolo omne jus erga Deum gloriandi amiſerit: Angeli contra, qui in juſtitia perſeverarunt, puritatis laudem illibatam ſervent? Ideo cenſeo aliud quid his verbis innui, ſcilicet Angelorum perduellium lapſum. In eos nempe, quamvis naturæ præſtantia creaturas reliquas antecellerent, vitii tamen labes irrepſit; eorum Deus inconſtantiam in bono propoſito culpavit; in iis reperit vanitatem, ἕυρησε σκόλιόν τι, depravatum & tortuoſum. Rebellarunt quippe, conſpiratione facta in legitimum Dei imperium, & cum ab origine ſua defecerint, ſedibus priſtinis propterea merito pulſi ſunt. Ἀγγέλους, ut ait Judas Apoſtolus, ſuæ Epiſtolæ verſu ſexto, μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν. Quanquam alium ſenſum, eumque egregium, Apoſtoli verba ferre poſſunt, qui mihi præ reliquis arridet. Scilicet ut μὴ τηρήσαντες ἀρχὴν reddatur, *obliti principii* vel *originis ſuæ.*

ſuæ. Ubi lapſûs Angelorum cauſa indicatur. Videntur enim ſpiritus illi præcellentioris naturæ in Deum rebellaſſe, & ex nativa ſua puritate deſciviſſe, ob ſuperbiam, quæ ipſos excœcavit; ſic ut a Deo ſe conditos obliviſcerentur, & per ſe exiſtere ſemet, vi propria, tanquam totidem Dii, exiſtimarent. τηρεῖν apud S. Scriptores ſæpe uſurpatur, ut apud profanos quoque, pro *obſervare, adtendere.* Qua acceptione non nemo poſitum vult Joh. XV. 20. τὸν λόγον μου ἐτήρησαν. Porro ἀρχὴ *principium exiſtendi, originem* ſonat. Hunc defectionis angelicæ fontem haud uno ſui Poëmatis loco ſubindicat Miltonus, cui, ſic probabiliter de his philoſophatur, τοῦ ἀοράτου κόσμου arcana patuiſſe diceres. Hoc nempe vult Deus, aut Spiritus ille, Dei interpres, nuncius, ὑποφήτης; ſi apud immortales illos ſpiritus, qui in Dei conſpectu perpetuo ſtant, & cœlos incolunt, ſunt tamen reperti, qui pravitate ſua & inconſtantia puriſſimos Numinis oculos offenderint, quoſque ob ſtultam arrogantiam, pravitatem, cogitationes vanas, procul a conſpectu ſuo exulare juſſerit, & ſedes ſuperas migrare; quid homo imbecillis & miſer, qui terrenam fæcem incolit, ipſe ex luto conflatus, morbis, infirmitatibus omne genus, & morti tandem obnoxius;

quid animans tam brevis ævi, vermium mox futurus eſca, undenam tam altos ſpiritus ſumet, ſibique tantum audebit tribuere, ut juſtitiam ſuam crepet, & de jure ſuo conditori litem moveat? Non diſerte quidem in eo notatur peccati labes, ſed ex conſequentibus & adjunctis ſatis innuitur. Ex mortalitate nimirum, peccati pœna, imbecillitate, contracto vitæ ſpacio, & in pulverem unde ortum traxit reditu. Hoc innui his verbis videtur; *in pulvere fundamentum eorum*. Verba etiam in quibus univerſus ſermo deſinit: *moriuntur & non in ſapientia*, hominem peccato obnoxium eſſe indigitant. Confer omnino Pſalmum XLIX, qui a noſtro pleraque mutuatus videtur.

Ea erit autem ad hanc mentem totius loci ſententia. Unde tibi, ô Job! accrevit tantum audaciæ, aut quæ te fiducia impulit, cum e pulvere natus ſis, & in pulverem mox reſolvendus, ut ex luteo tuo tuguriolo ad thronum omnipotentis adſcendere geſtias, tuam cauſam eo judice diſceptaturus, ut integritatis juſtitiæque coronam te ab eo reportaturum confidas; dum ipſum ſcis in immortalibus Angelis ſatis cauſæ reperiſſe, ut eos æthereis ſedibus pelleret, & a nativo cœlo æternum exulare juberet. Forte objicies, cùm ab Eli-

phaſo

phaſo argumentum a minori ad majus inſtitui videatur, contra tamen Angelorum ἀποστάντων peccatum flagrantius, utpote extra veniæ ſpem poſitum, hominis vero non item. Reſpondeo, ab excellentiori natura ad inferiorem argumentum duci, hunc in modum: Si a divinæ ſanctitatis norma Angelicus vigor deficere comperiatur, quanto id magis credendum eſt de imbecilli, atque argillacea Adamigenarum compagine? Si cœleſtes Spiritus, eximia puritate inſignes, atque æterni ſolis radiis tam ex propinquo colluſtratos, peccati nihilominus tabes contingere potuit, quid frivolam & fragilem cenſes, ac veluti luteam hominum naturam? quam parum illa ſeverum Numinis examen, & libratiſſimum judicium ferre valebit!

Forſitan quoque, [nam hic fluctuat animus in ambiguo variarum interpretationum] nullo ad nativam, quam ex Adamo traxerunt, labem reſpectu habito, aut ad Angelorum reproborum caſum, forſitan, dico, id ſolum intenditur, ut Dei exquiſitiſſima puritas extollatur, qui ne in ſanctis Angelis quidem reperit, quod ſibi undequaque ſatisfaciat. Confer infra XV. 14—16. XXV. 4—6. Quod ſi ita ſit, quanto minus miſeri homunciones in ejus conſpectu ſine culpa aut macula ap-

parebunt? Jam ſpecta *ἀπόδοσιν*, id eſt alterum comparationis membrum אף שכני בתי חמר *quanto minus puritatem inveniet in iis, qui habitant tuguria ex luto conflata?* Reſpondet τῇ οἰκίᾳ τοῦ σκήνους ἐπιγείῳ Pauli, 2 Cor. IV. 1. Sequitur; *Quorum fundamentum in pulvere.* Id in mentem revocat domum arenæ inædificatam, Math. VII. 28. Pergit; *& conſumunt eos*, vel, *conſumuntur*; ודכאו *coram verme.* Domus illæ, nimirum humana corpuſcula, lumbricûm pabulum fiunt, corroduntur tales ædes a vermibus. *A mane ad veſperam conteruntur, absque quam quisquam apponat*, מבלי משים לנצח יאבדו, ſcilicet oculum, vel manum; id eſt, nullo aut advertente, aut ruinam accelerante, & ad interitum propellente, pereunt in æternum. Priorem ſenſum malim ex duobus, tralatitia comparatione floris, qui mane exortus, veſpere exareſcit, quemque una dies naſcentem & cadentem videt. Infra XIV. 2. *Nonne excellentia eorum migrat, aut recedit ab illis?* i. e. quicquid eximium habebant, illico evaneſcit. *Moriuntur & non in ſapientia.* His poſtremis verbis non idem ſenſus ineſſe videtur, qui Pſalmo XLIX. 13, 14. Quaſi vellet homines eſſe inſanabiles, atque in vitiis ſuis & ſtultitia ad mortem usque perſeverare. Putem potius mortalium breve ævum Angelorum

rum immortalitati opponi, ut dicat; arctum nimis, ipſis vivendi ſpatium concedi, ut poſſint ſcientiæ & Sapientiæ tolerabilem menſuram ſibi comparare. Uti *Democritus accuſaſſe naturam dicitur* &c. Integrum locum vide apud Tullium de Senectute.

Vs. 21. *Qui autem reliqui fuerint auferentur ex iis.*] Laus hæc debetur Schultenſio, eum ſæpius ſupra reliquos metaphraſtas dictionis Jobeæ vim ac majeſtatem feliciter expreſſiſſe; num vero, uti homines interdum labimur, hîc idonei Interpretis munus impleverit, dum vertit הלא נסע, *profecto Nihil convulſum*; יתרם *nervus eorum*; ימותו *macerati diſſolvuntur*, חכמה *firmitudinem ſolidam*, decernant periti judices, qui grandia & celſa, a duris & turgidis, nativa & recta, a tortuoſis & coactis, ſecernere didicerunt. Ipſi quidem Schultenſio ſic ſuum interpretamentum ex penitiſſimis Arabum fontibus hauſtum arridet, ut non exiſtimet ſublimius, aut venuſtius, aliquid concipi poſſe ab ingenio humano. Sunt nihilominus, quorum ſententiæ me lubentem accedere haud diffitear, qui, ſi ejusmodi Veneres ex ultima arceſſuntur Arabia, quantocyus eò, unde malum huc pedem intulerunt, ablegandas cenſeant. Vide enim, quam parum nitens, & decora; quam intricata & con-

fragoſa exeat Oratio in hunc concinnata modum: *Profecto Nihil convulſum (eſt) nervus eorum qui in ipſis macerati diſſolvuntur, & non ſunt in ulla firmitudine ſolida.* Gratiis iratis natum dejeres, qui ſic loqui ſuſtineat; Arabs, Æthiops, Tros Rutulusve fuat, nullo diſcrimine; adeo ſcabra, hirta & horrida compoſitio hujusmodi auribus accidit; neque eas magis, quam ipſam mentem chalybeo rigore lædit offenditque. Diceres eruditum Interpretem, qui cæteroquin, quo magis mirere, Oratoriæ ſeſe artis apprime gnarum egregiis monumentis probavit, *nervis* hîc & fidiculis uſum fuiſſe, ut ſingula verba a nativa ſignificatione *convelleret*, totamque pericopam quaſi piſtillo tuſam *diſſolviſſe*, ex qua probe *macerata*, novam ſuam hujus verſus interpretationem conflaret. Atqui, niſi nodos in ſcirpo quærere ames, ſponte ex Hebræo textu fluit ſenſus egregius, quem ſua ſimplicitas majeſtati juncta commendat. *A mane ad veſperum conteruntur, nemine etiam tangente, & in æternum pereunt. Abripitur ipſis quicquid eximium habebant. Moriuntur denique necdum ſapientiam edocti.* Equidem Origines vocum ſedulo indagandas non diffiteor, quo melius vis earum & proprietas eluceſcat: at ex uſu verba ſunt æſtimanda; atque ex ſubjecto argumento, &

ipſa

ipſa orationis ſtructura ſenſus eliciendus. Quod ſi primigenias ſemper verborum per ſe ſpectatorum acceptiones verſioni tuæ infercire ſtudeas, parum memor; eas ductore uſu in alias nonnunquam valde diſſitas migraſſe, vide ne toti orationi chaos merum, meram barbariem, & Lycophroneas tenebras intuleris. Quantum autem ſtudio illo etymologico in S. Scripturis interpretandis peccetur, opportune monuit Vir inſigni meliorum litterarum damno nobis nuper ereptus *Joh. Jacobus Wetſtenius*, Diatriba ſua *de interpret. N. Teſtam.* ad calcem tomi 2[di] ejus, quam curavit, N. T. Editionis pag. 875.

OBSERVATIO

PRÆTERMISSA

IN CAPUT I, vs. 6—10.

Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui reſpondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum: Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens

mens Deum, & recedens a malo? Cui reſpondens Satan, ait: Numquid Job fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum & domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixiſti? &c.

MOratam valde orationem ſentiet, quam illa Numinis confabulatio complectitur, quisquis ad eam propius adtenderit. Rogat Satanam Deus unde veniat? Reſpondet Dæmon ſe circuiviſſe terram, eamque perambulaſſe. Ardens nempe ſpiritus & inquies, ubique negotia ſibi faceſſit, & aliena curat, excuſſis propriis. Cuncta circumſpicit, omnibus, quæ ubique aguntur, adeſt & advigilat, ac leoninam ferocitatem vulpina ſocians aſtutia, nativa ſemper ſtimulatur malitia, ut noceat quamplurimis, & quam multa poteſt conturbet, aut evertat. Numquid conſideraſti, pergit Dominus, ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra. Præclarum vero illud encomium ab ipſo gloriæ omnis fonte profectum! Homo ſimplex & rectus. Obiter obſerva eximiam laudem ſimplicitatis, ab omni verſutia, dolo, fraude alienæ; qualis laus Nathanaëli a Chriſto obtigit, Joh. I. 47. optimo ingeniorum æſtimatore. *Timens Deum*

Deum & recedens a malo. Quæ duo intimo & indivulſo nexu juncta inter ſe. At operæ pretium eſt advertere, quam decens & probabilis, quam characteris retinens ſermo is ſit. In omni quidem loco, ut Solomo ait Prov. XV. 3. oculi Domini bonos & malos contemplantur, ſed in toto orbe terrarum nihil ipſi eſt ſpectabilius homine juſto & pio; Vid. Pſ. XXXIII. 18. XXXIV. 16. Job XXXVI. 7. nihil quod æque oculos paſcat, aut quo delectetur magis. Cacodæmon contra hujusmodi ſpectacula refugit, tacitum ſibi convitium facientia; & omnes ſedulo perreptat terræ angulos, nec certe operam perdit, ut multos reperiat aut faciat ſimiles ſui. Moroſus igitur ille reſpondet caperata fronte: *Numquid Job fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum ac domum ejus?* &c. Hîc prodit invidiam, & inexplebile quo eum flagrare credibile eſt odium, erga humanum genus. Neſcit miſer! quid ſit amor; ex quo nimirum cœlo detruſus, Deum ſibi infenſiſſimum hoſtem ſuo ſummo merito expertus eſt. Criminatur in Jobo, quæ cæteras inter virtutes eminebat, pietatem; quaſi is ſervili plane animo mercenariam tantum Deo operam locaret. Veras hominis laudes, quas inficiando obruere nequit, iniquis

quis ſaltem, pro more ſolito, ſuſpicionibus premere ſtudet, ut deterat aliquatenus, & minuat. Idem adverſus pios ſtudium exercent, eandem acerbitatem & ærugi-nem æmulantur etiamnum Satanæ mini-ſtri; dum eorum virtutibus, quorum, ſi in ſe ſpectentur, reverentiam tollere deſpe-rant, tanquam ementitis & fucatis ob-ſtrepunt. At quam immane diſtat ſincera pietas ab illiberali mercimonio! Amant profecto Deum ex toto corde, quotquot ſunt ex animo pii, propter eximiam præ-ſtantiam, qua cæteris naturis antecellit. Si in re lauta conſtituantur, & opibus adfluant, ſicut Jobus, tum impenſius di-ligunt ob innumera benefacta, quæ in ſe a ſempiterno bonorum fonte defluere in-telligunt. *Benedic anima mea Domino* &c. Quod ſi, mutatis vicibus, ad inopiam re-digantur & alicunde calamitas ingruat, minime patiuntur ſuum in Deum amo-rem inde minui, aut extingui. Contra is amor efficit, ut caſtigantem manum proni adorent, ſeſe ejus imperio ſubmittant, Sapientiam abſconditam & juſtiſſima ag-noſcant judicia, implorent continuo præ-ſentem opem, nec ultimis licet anguſtiis preſſi, unquam ſpem & fiduciam in eo repoſitam abjiciant. Nolim quidem My-ſticorum nonnullis adſentiri, dum amo-

rem

rem Dei purum, neſcio quem, deprædicant, qui omnem noſtri curam ſeponat, & a ſpe qualibet impetrandorum bonorum prorſus ſejunctus ſit; quem in mediis etiam inferis, & tartareis cruciatibus perennaturum nugantur. Tales hypotheſes, ut inanes & otioſæ ſunt, ſic ipſam hominis naturam evertunt, nec minus Deo Opt. Max. faciunt injuriam, qui ne mente quidem unquam concipi poteſt, in id nos condidiſſe, ut miſeros reddat, aut tanquam officium debitum præſcripſiſſe, ut naturam ab ipſomet datam, quæ boni neceſſario appetens eſt, exuamus. Abſint procul a nobis portentoſa illa inſipientium Sophorum deliria. Tenendum eſt, in hac præſertim humanarum rerum conditione, homines tum mercedis ſpe, tum pœnarum timore, in officio, & debito legibus divinis obſequio, contineri. Noſque ſpe ſummi boni ad Deum colendum amandumque jure optimo allici. Quod tamen nihil obſtat, quominus divinus amor majoribus pennis in ſublime feratur, ac neſcio quid ſpirans generoſius, ex ipſo anteactorum beneficiorum ſenſu, quin etiam ex divinarum perfectionum pulchritudine & reverentia efflоreſcat, indeque altas in corde noſtro radices agat. Cæterum lectu inprimis digna ſunt, & ad-

admodum ſenſata, quæ hic adnotat Vaſſor, ad quem lectores, quos nequaquam impenſæ operæ pœnitebit, amandamus.

IN CAPUT V.

V. 1. *Voca ergo ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.*] Inſultat hîc Eliphas Jobo, non ſine ironica quadam illuſione, ut optime notavit Schultens, merito rejecta Bohlii expoſitione, qui ex ſingulari vi verbi ענה ſic reddit; nomina, age, qui tuo caſui reſpondeat, tibique per omnia ſit ſimilis. *Nihil coactius*, inquit Schultens, *nihil fidiculis tortius, quam quæ vir ille doctus circa origines thematis protulit*, parum cogitans in ſuas nonnunquam origines paria refundi poſſe. Aliquid hîc nobis majoris momenti obſervandum venit: quam ferocem ſcilicet & virulentum Eliphas in miſerum Jobum animum induat. Qui vero talia ſibi perſuadere poſſit ab amico prolata, quis tantam immanitatem ferat? Haud levi argumento, nominibus tantum Amicorum vulgo notis Poëtam in Dramate uſum; non veras voces, tanquam ab hiſtorico relatas, exiſtimandas. Facete porro hîc Codurcus, dum a ſuis Symmyſtis diverſus abit, quam

ex

ex hoc loco tuentur, invocationi ſancto-rum plus ex futili Eliphæ, quem *Sceleſtiſſimum Caput* vocat, teſtimonio auctoritatis detractum iri affirmat, quam additum. Scilicet Codurco, qui a puriore Eccleſia, cui diu miniſtrarat, ad Pontificios transfuga deſcivit, adhæſerunt, ut in ejusmodi ſit, primævæ inſtitutionis reliquiæ quod haud uno commentarii ſui loco deprehendere licet.

Vs. 7. *Homo naſcitur ad laborem* &c.] Optime Genevenſes vim particulæ כי expreſſerunt. *Combien que l'homme naiſſe pour être travaillé.* כי אדם לעמל יולד. *Etſi homo ad moleſtiam natus ſit.* Neglecto hoc ultimo כי, Clericus ſenſum minus aſſequitur, qui planus eſt, hunc in modum; quamvis omnis generis mala homini ſint connata, ejusque naturæ ſponte adhærere videantur, haud tamen putandum eſt, forte quadam, aut neceſſitate cæca, velut herbæ ex terræ gremio germinant, aut ex pulvere lutove inſectorum examina pullulaſcere creduntur, ſic ærumnas, quæ vitam infeſtant, humano generi incumbere: At a ſupremo Mundi opifice certis ac ſapientibus de cauſis immitti. Quæ ad ſummam ſuſceptæ ab Elipha diſputationis apprime faciunt. Ea vero verſibus 7mo. & 8vo. præcedentis Capitis clare exhibetur; nec non

ejusdem vs. 17—21. plenius diducitur. Coactiori interpretatione Schultens; *Non emicabit e pulvere vanitas, & non effloreſcet e terra improbitas; quia fulmina adſunt certo certius eam feritura, malumque ſemen de terris deletura.* Siquidem per בני רשף fulmina vibrantia & coruſcantia intelligit, proprietatis in tropo ſervandæ, cujus alias paſſim acutum ſe judicem præſtat, hîc parum memor. Non enim volatu ſumma petit fulmen, quod vibrare ſolet in ſceleſtos divina nemeſis: Contra e nubibus in ſubjectas terras magna vi incutitur. Unde ζεὺς καταιβάτης dictus, aut *Jupiter fulgurator*. Parum quoque feliciter לא יצא מארץ ad improborum interitum & excidium trahit. Nam ipſiſmet quos adducit locis, improbi dicuntur florere, germinare, in cœlum tendere ramis felicibus: at poſtmodum vicibus mutatis ſuccidi, eradicari, exareſcere ſubito. Nec fulmina prohibent plantas, ne ex terræ ſinu exeant aut adoleſcant. Sed arbores ferire, proſternere, faſtigia decutere, ſegetes, plantas jam adultas uſtulare & comburere ſolent. At manifeſtum, noſtro in loco a ſcintillis in altum volantibus parœmiam deſumi, ut ſignetur quid cujusque rei naturæ & indoli ſit conſentaneum.

Vs. 21. *A flagello linguæ abſconderis.*] Mira

ra

ra hîc Clerici ἀπορία, qui ſibi aquam hærere oſtendit, nec quoquo ſe vertat, divinare quit, aut expedire, quid ſibi velit בשוט לשון. At obvia res erat, *flagellum linguæ* vocari, contumelioſas voces, quibus homines impetuntur, & velut flagellantur, eorumque fama laceratur, quæ tralatitia eſt metaphora, omnibus credo linguis uſitata. Idem nempe, quod Horatio, *patruæ verbera linguæ*, quæ miſeras puellas exhorreſcere ait. Sic Galli dicunt *un coup de langue*, & Angli ad Eliphæ locutionem propius, *lashes*, de aculeatis dictis uſurpant. Cæterum hoc noſtro loco, *a flagello linguæ abſcondis*, plane germanum huic Pſalmi XXXI 21. *Abſcondis in tentorio a contentione linguarum*, ſic ut alter alterum locus mire illuſtret, & Pſaltes ab Eliphaſo mutuaſſe videatur. Ceſpitat hîc ingenioſiſſimus Crinſos, qui per שוט לשון *excurſiones linguæ* intelligit, coacte, ut videtur; ut & quod ibidem linguas pro populis ſumit.

IN CAPUT VI.

Vs. 2. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui.*] Male vulgatus; nec multo melius Geneveníes; *à la mienne volonté, que ce qui m'irrite fût bien peſé.* Opti-

me Cl. Schultens; *o ſi librando libraretur ægritudo mea!* כעסי non doloris materiam aut cauſam, ſed indignationem ipſam notat, ſeu querelas, quas malorum ſenſus extorſit. Sic Anglica, *my grief.* Optime ſenſum evolvit tum Clericus, tum Schultenſius, quorum vide notas.

Vs. 5, 6. *Nunquid mugiet onager &c. aut poterit comedi inſulſum?* &c] Parum feliciter utriusque verſus enarrationem aggreſſus videtur Cl. Schultens. Priore enim Simili vult perſtringi immiſericordes animos, qui florentibus ſuis rebus & in re lauta conſtituti, mœrenti amico neutiquam condolent; ac quem potius conſolatione, ad magnitudinem mali accommodata, ſublevare debuiſſent, acriter objurgant, quod dolori nimium indulgeat, & adverſa impatientius ferat. Duplicem ſcilicet loci faciem eſſe, alteram in Jobum, alteram in ſocios converſam. Jobus videlicet rudebat & mugiebat, commodis, quæ prius abunde ſuppetebant, nunc omnibus deſtitutus. Socii contrà, pabulo gratiſſimo ad ſatietatem usque diſtenti, non rudere aut mugire, non verba dolentia proferre; Sed acres potius in ſe, merito ſuæ ſorti ingemiſcentem, cenſuras diſtringere. Et hactenus quidem expoſitio ferri poſſit, etſi tanquam longe nimis ar-

arceſſita, & minus apta loco, nonnullis forte diſplicitura ſit. At vide, qua ratione nexum inſtituat cum ſequenti verſu. *Hoc*, inquit, *viris ſapientibus indignum, inficetum, inſulſum, quinimo fatuum quid, quod ſtomachum moveat concutiatque, ſtomachoſa ſane oratione iis objicit Jobus.* Quid autem inſulſum ais? Quod non mugiant & rudant bene paſti? id vero ſolenne eſſe onagris & bobus modo prædicavit. Sed enim dic mihi, num ſilentium merum cibis adſimilari valeat, ut id Jobus faſtidienti ſtomacho nauſeam movere dicat, & a ſe deglutiri neget poſſe & concoqui; ut putredinoſos illud cibos nuncupet, a quibus tangendis toto ſe animo abhorrere profitetur. Quam vellem paraphraſim tam alienam & cuivis eruditum palatum habenti illico exſpuendam, adeo ei parum ſalis ineſt, a viro docto non prolatam! Dices de criminibus Jobo impactis id intelligi. At primum crimina iſta & cenſuræ acres potius amaro ſali, aceto, aut venenatæ potioni comparandæ fuerant, non inſulſo cibo. Deinde nihil ejusmodi in Simili verſus quinti continetur. Quin potius valere jubemus commentum, quod, quam ſubtiliter excogitatum, tam arceſſitum & propoſito eſt alienum: præſertim cum Jobi ſententia ſit planiſſima, & nexus

facilis. Haud immerito, ait, ſe miſerabiles querelas effudiſſe. Cùm a natura ſic comparatum ſit, ut in malis doleamus, & a neceſſariis ad ſuſtentandam vitam deſtituti, acerbius queramur. Sibi pro lautis, quibus inſueverat, dapibus, ejusmodi cibos apponi, quos faſtidit ſtomachus, & a quibus in totum animus abhorret; qualia ſunt inſulſa omnia & nullo ſale condita, lege verſ. 7. Quando autem verſu 6. בריר חלמות quod cuncti Interpretes per *albumen ovi* reddiderunt, Schultens vertit, *ſalivam ſomnolentiæ*, monſtrum nobis locutionis obtrudit nullo, quod quidem ſciam, exemplo, auctore nullo; mori ſuo nimium obſecutus, tropos cudendi pro imperio abſonos, atque ipſorummet Arabum aurem flagellaturos.

Vs. 16. *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.*] Bene hæc a Vulgato, Geneveneſi vernacula, & Schultenſio cum præcedentibus connexa; nam ad continuationem pertinent ſplendidiſſimæ comparationis, quæ ad verſum uſque 20^{mum}. protenditur. Deſcriptionem continet torrentis primum rigentis gelu, & denſa nive obtecti, ſicque obſcurati, ut nullum ejus deprehendatur veſtigium הקרר מני קרח. At idem mox ingruente æſtu, ſolutis nivibus, & liquefacto gelu, magno impetu labitur.

Dein

Dein eodem æſtu invaleſcente, brevi exareſcit, & per varios flexus deſerta loca obambulando penitus deficit; ſic ut viatorum ſpem fruſtretur, qui catervatim huc tanquam ad amnem quendam decurrunt, ex quo ſitim levent. Similitudinem ex Arabum aliisque Scriptoribus luculenter illuſtravit Schultenſius, ad quem, harum opum ditiſſimum, lectores amandamus. Exemplis ab eo adductis addi poteſt Ovidius Amor. III. Eleg. V. ad amnem, vs. 91. & ſeq. *Nomen habes nullum, nivibus collecte caducis* &c.

Vs. 21. *Nunc veniſtis*] Hebræa non reddit Vulg. interpr. Melius Genevenſes; *vous êtes devenus un rien.* Anglica verſio; *you are nothing.* & Schultens; *nunc ſane facti eſtis nihil.* הייתם לא. nam לֹא vel לָא ex uſu Chaldaico ſonat *nihil.* Sic Daniel IV. 32. *Omnes habitatores terræ pro nihilo reputantur* כלה חשיבין ubi *He* poſitum pro *Aleph.* Cæterum ſcatere librum hunc Chaldaismis ſatis notum. Inepte vero Maſſorethæ hic in margine pro לא monent legendum לו, uti etiam 2 Reg. VIII. 10. fecerunt. Sic Jobi XIII. 15. לא אחיל *non ſperabo*, in margine legitur לו. quæ lectio eodem recidit, quo prior, ſi huic interrogationis nota apponetur. Contraria mutatio infra XII. 16. ubi vide notata. Confirmatur autem po-

teſtas hîc particulæ לא tributa ex Cap. XXIV. 25. ubi אל *nihilum* ſonat. Cæterum conſuli poteſt hoc loco Didaci a Stunica Commentarius, qui obſcurum fatetur, & in enarrando latinos Interpretes aberraſſe, cum Hebraica non ita difficilem explicationem habeant.

IN CAPUT VII.

Vs. 16. *Deſperavi, nequaquam ultra jam vivam.*] In Textu מאסתי. Arbitratu ſuo Interpretes ſupplent aliquid, ut pendulam & hiantem ſententiam expleant. Sed violenta omnia & precaria. Feliciter nodum ſolvit Lud. Capellus, docens non a מאס *ſprevit, abominatus eſt*, deducendum, ſed poni pro מסתי a radice מסס *contabuit. Aleph* pro *Samech* ad *Mem* inſerto, ut ſubjectæ vocalis *A* indicium eſſet, quod alibi ſæpius contigit. Vide *arcanum punctat. revelatum* p. 749. inde ſenſus fluit commodiſſimus. *Diffluo; deſiſte a me* &c. Sic alibi ipſe Jobus, ſic Pſaltes locutus, ut ex ipſa caducitate & brevitate vitæ ſuæ Deum ad miſericordiam permoverent. Schultenſius vertens *exulceror*, ex primario quem comminiſcitur מאס ſignificatu, obſcurat ſententiam, nec verborum nexum expedit.

Vs. 17.

Vs. 17. *Quid eſt homo, quia magnificas eum?*] תגדלנו Schultenſius, ex Arabico fonte ſignificationem repetens; *quod luctando te implicas cum eo.* Longe ſimplicius & verius ex indubitata verbi notatione; *quod educes ipſum*, id eſt, quod aſſidua παιδαγωγίας cura per ſeveræ diſciplinæ legem a puero inſtituas. Noſtro ſenſui apprime favet phraſis ſequens. תשית אליו לבך *ipſi cor tuum appoſuiſti.*

Ibid. vs. 7 — 9. *Memento quia ventus eſt vita mea, & non revertetur oculus meus ut videat bona* &c. *Sicut conſumitur nubes & pertranſit: ſic qui deſcenderit in inferos, non adſcendet.*] Hæcce, & ſimilis commatis alia plura, quæ apud Noſtrum occurrunt, cum reſurrectionis fide, aut immortalitatis ſpe indubitata, parum conſentire, fatendum eſt; quicquid vitilitigent & cavillentur Interpretes nonnulli, ad opiniones ſibi a pueris imbibitas, tanquam ad amuſſim, S. Scriptorum verba exigere certi. At vita tantum hæc mortalis ſpectatur, inquiunt, ad quam ſemel mortuis non datur regreſſus, ut terrenis bonis denuo frui poſſint. Optime reſponſum, ſi hæc abſolute ſic poſita, per ſe, & ſeorſim ſpectarentur. Verum adtende parumper quis ſit, qui ea loquatur. Jobus nempe, cum Conditore ſuo expoſtulans,

talia uſurpat, in ærumnoſæ ſuæ ſortis exaggerationem. Jam, credo, vim argumenti capis: Momentaneam vitæ brevitatem, celeremque fugam nulla alia de cauſa memorat, quam ut inde potentiori ratione Deum expugnet, & æquum eſſe evincat, aliquod ſibi a malis quæ patitur laxamentum, & interſpirationem exiguam concedi.

Quod ſi ultra mortalis ævi curriculum, eximiæ cujusdam ſibi felicitatis, imò ſempiternæ ſpem propoſitam habuit, tum ipſa, de brevibus hodiernæ vitæ metis, & veloci tranſeuntis curſu, ſubiens cogitatio, præſentia mala elevare debuit, & tolerabiliora reddere; nedum ut acceſſione nova gravare cenſenda ſit; ſecundum
2 Cor. dictum Apoſtoli. τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλα-
IV. 17. φρὸν τῆς θλίψεως &c. *Crudum, quod Rabbini hinc inferant, ſpem reſurrectionis a Jobo vel abnegatam, vel ignoratam. Et Patres nonnulli hinc melioris vitæ fidem detraxerunt noſtro. Quorum ſub clypeo ſic ratiocinatur Cl. Clericus.* Cujus adductis verbis, ſic pergit Schultenſius: *Otioſe talia dicuntur in umbra procul ab æſtu cruciatuum, qui æſtuantia quoque verba noſtro extorquebant.*

Miror hic obſervata de cruciatuum æſtu, quo pertineant. Scilicet is mentem turbare aptus eſt, atque loco ſæpius movere,

vere, ut minime ſana, incompoſita, & rationi parum conſentanea vel invitis extorqueat. Adeo, ut ſapientes alioquin & probi, pungentis doloris ſtimulis efferati deſipiant interdum & ultra metas rapiantur. At in eo certe dolorum παροξυσμῷ minime conſtitutus fuit Jobus, cum apud ſodales continenti, eaque gravi atque ornata oratione, cauſam ſuam ageret; ubi nihil incompoſitum, nihil inſulſum & abſurdum ipſi excidere, nihil non ratione & judicio ponderatum, aut viro ſapiente dignum audiri, ipſum Clar. Schultenſium appellamus teſtem; cujus commentatio univerſa in id intenditur, ut hoc liquidiſſime demonſtret. Jam ergo ſic arguimus; potuitne homo ſui compos, qui de caſibus propriis diſceptat tam ſapienter, eosque differendo in omnes partes verſat, perpendit, excutit; potisne fuit, inquam, rem obliviſci, unde maximum, imo unde unicum in miſeriis ſuppetebat ſolatium? aut doctrinam, tractationi quam occœperat, adeo conjunctam & opportunam, ſilentio premere? De ſpe loquor melioris, poſt obitum, & quidem æternæ vitæ. Quid eſt cur Jobo, dum divinæ providentiæ vias anxius explorat, dum ſecum iniquius agere queritur ſummum rerum humanarum moderatorem,

torem, nihil ejuſmodi in mentem incidit? Et quando ipſum Amicorum error ob eas, quibus conflictatur, calamitates diris ſuſpicionibus exagitat, unde quæſo fit, ut ad ſpem immortalitatis, & futuram Oeconomiam, tanquam ad tutiſſimum portum, ſe non recipiat, propriam ſic innocentiam, ſimulque divini regiminis æquitatem vindicaturus? Tam alti circa doctrinam momentoſiſſimam ſilentii neceſſe omnino eſt cauſam ſtatui unam ex his duabus; aut, quod ſpem immortalitatis nullam Jobus conceperit; quod de viro veræ Religionis notitia imbuto exiſtimare nefas; aut potius, uti omnia ſuadent, & pluribus ſupra aſſertum ivimus, quod ſacer hujus Poëmatis Scriptor, qui perſonatum tantum Jobum nobis exhibet, vitæ futuræ mentionem, ut a propoſito ſuo & ſcopo alienam, data opera ſepoſuerit.

IN CAPUT VIII.

Vs. 7. *In tantum ut ſi priora tua fuerint parva, & noviſſima tua multiplicentur nimis.*] Manifeſto alludit Bildad ad florentium Jobi rerum ſtatum priorem, quem redux poſtliminio proſperitas duplo ampliorem præſtitit. Et hic animadvertere licet, quod an-

ante monuimus, de artificioſa hujus Poëmatis ſtructura, ubi concinne colloquentium ori multa induntur, inſciis & imprudentibus excidentia, quibus implexi Dramatis enodatio miram venuſtatem adſpergit. Non præſagiebat animo Bildad, quæ nunc dicit, re mox comprobatum iri. Imò ea adeo per ſe ſuſceptæ diſputationi ſunt appoſita atque apta, ut inde propria ſponte profluere videantur. Quo fit ut exitum reſpectantibus incredibilis inde exſurgat lepor.

Vs. 11. *Numquid virere poteſt ſcirpus absque humore?*] Optime per interrogationem Vulgatus extulit, uti prima fronte Textus ſuadet. Impediunt ſeſe, nullo quidem commodo, qui vim τῦ *He* demonſtrativam tenentes cum Schultenſio vertere amant; *Ecce effert ſe juncus ſine uligine, excreſcit ulva ſine aquis.* Plane contra rei indolem. Notum enim juncos, ulvam, ſcirpos, carecta in paludibus naſci, nec niſi uligine & aqua multa rigatos adoleſcere. Conjicit quidem Schultens, *juncum ſine uligine*, olim proverbialiter dictum in hypocritas, qui ut ſubito excreſcunt, ita ſubitiſſime marceſcent. At ipſi ſuam hariolationem relinquimus. Valeant quoque, quæ de abundantia opum hujus ſæculi, aut de perenni principio amo-

amoris Dei, & humore vitali virtutis, quibus hypocrita deſtituatur, otioſe ἀλληγορίζουσιν Interpretes. Atqui obvia erat parœmiæ explicatio. Quemadmodum, inquit, juncus qui nonniſi aqua multa, aut uligine humectus & irrigatus ſurgere ſolet, eadem defectus ſubito exareſcet, & ante herbas reliquas marcidus concidet, etiam nullo carpente: Sic hypocrita, poſt brevem ſecundæ fortunæ florem, repentino exitio delebitur. Ipſa illa comparationis εἰσαγωγὴ; *num juncus absque uligine creſcat?* apprime ad Orientalium ſtilum & captum congruit. Ellipſis vero iisdem ſat familiaris, *areſcet ante omnem herbam*, ex antecedentibus facile ſupplenda; nimirum, *ſi aqua deſit.*

Vs. 15. *Innitetur ſuper domum ſuam & non ſtabit.*] Illud ad araneæ ſimilitudinem in primis pertinet, ut acute vidit Cl. Schultenſius: „ Araneus inquit, in media „ ſua tela tanquam in domo firma & „ tuta reſidens, atque ſuperbe ſuper ea- „ dem recumbens: quin manibus quaſi „ ſuis eandem retinens ſimul, ſimul ſu- „ ſtinens & ſuffulciens: Quum interim „ unicus vel ictus vel flatus, cuncta uno „ momento diſſipet, pendulamque be- „ ſtiolam ſuiſmet retibus implicatam eli- „ dat". Quam elegantiſſimam viri, inge-

genioſi non minus quam docti, deſcriptionem tranſcribere volupe eſt,

IN CAPUT IX.

Vs. 6. *Qui commovet terram de loco ſuo.*] Fruſtra quis inde Copernici, & omnium qui recte philoſophantur ſententiæ, de annuo terræ motu, præſidium quæreret. Talium rudes Jobi ſæculo homines erant, ut ex pluribus hujus libri, ubi phyſica tanguntur, ſatis pateſcit. Operam ludunt, qui in ſacris Scripturis rerum naturalium cognitionem quærunt, in alios nobis longeque diverſos traditis uſus. Hic nihil igitur aliud quam terræ tremor intelligendus; quod oſtendit poëtica exegeſis addita; *columnæ ejus concutiuntur.* Didacus Conf.
tamen Stunica, quod mirere, Salmanticen- Pſal. XLVI.
ſis monachus, commentario, quem neuti- 3-7.
quam ſpernendum, in hunc librum ſcri- XXIX.
pſit, ad girationem telluris refert, qua 5, 6.
circa ſolem volvitur. Locum memorabilem adſcribere non pigebit. „Locus quidem difficilis videtur, valdeque illuſtraretur ex Pythagoricorum ſententia, „ exiſtimantium terram moveri natura „ ſua, nec aliter poſſe ſtellarum motus „ tam longe tarditate & celeritate diſſimiles explicari; quam ſententiam tenuit „ Phi-

„ Philolaüs & Heraclides Ponticus, ut
„ refert Plutarchus libro de placitis Phi-
„ loſophorum. Quos ſecutus eſt Numa
„ Pompilius, & quod magis miror, Plato
„ divinus, ſenex factus. — Noſtro vero
„ tempore Copernicus juxta hanc ſen-
„ tentiam planetarum curſus declarat.
„ Nec dubium eſt, quin longe melius &
„ certius planetarum loca ex ejus do-
„ ctrina, quam ex Ptolomæi magna com-
„ poſitione, & aliorum placitis reperian-
„ tur“.

Vs. 23. *Si flagellat, occidat ſemel.*] אם שוט Genevenſes; *s'il faut punir, qu'il fût mourir incontinent.* Hieronymum ſecuti, imo rationem ipſam. In oculos, ut ita loquar, incurrit ſenſus & ipſi textui, & orationis filo, rerumque nexui maxime aptus.
„ Omnia huc redeunt, ait Jobus, hæc
„ rei ſumma, quam experimento compro-
„ batiſſimam ſtatuo, quicquid caville-
„ mini, integrum juxta ac improbum
„ conſumit Deus, nullo diſcrimine. At
„ ſaltem una plaga conficeret ſtatim, &
„ elideret! verum mulcationi innocen-
„ tium illudit, ſubſannat miſeros, adeo
„ ut ipſorum ærumnis delectari vi-
„ deatur; lentis eos ictibus abſumit“.
Ita feri, ut mori ſe ſentiat, atrox quondam tyranni vox. Huc reſpicit Noſter, qui

qui occulta ſe tabe exedi, & lento ſupplicii genere confici ſentit, tardantemque mortem incuſat. Hæc ab ægro affectu, & doloris impatientia expreſſa, cùm aut parum adtenderet, aut reſpueret Schultens, vertit; *profecto flagellum necat temere.* Scilicet ut לעג ad flagellum referat, & figuram ex ancipiti flagelli concuſſi, ſimul & linguæ vibrantis e ſinu Arabici idiomatis depromptum eruat; quaſi eſſet *flagellum inſultans & ſubſannans*, quod, ipſo judice, habet *cothurnum hùic libro unice aptum.* Fruatur is per me ſuo judicio, ac tropos tropis conſertos & condenſatos in una eademque voce æternum miretur. Nobis quæſita & violenta ſordebunt ſemper præ ſimplicibus & apertis. Nihil enim eſt evidentius, quam לעג hoc verſu oppoſitum יְמִית פתאום ſenſum fundere, quem diximus, & אם ſolitam optandi ſignificationem retinere. Id optime vidit Grotius.

Vs. 30. *Si lotus fuero quaſi aquis niveis.*] והזכותי בבר כפי. Male Interpretes eo loco בר per *puritatem* aut *ſmegma* reddunt. Sed idem eſt, quod alias ſcribitur בור *ciſterna*, qua pluviæ aquæ colliguntur. Sicque ſibi egregie conſtat metaphora, quam ſequenti verſu perſequitur, ubi בֹּר, limpidæ aquæ receptaculo, opponitur שחת *foſſa*

I *cœno*

cœno oppleta; in quam ſi quis demergatur, tum certe veſtes conſpurcabit. Quod vero hic Clericus ſepulchrum intelligit, & ex putredine cadaveris commaculata veſtimenta, vide num aliena non ſint, & ἀπροσδιόνυσα. Cæterum toto coelo errat Jobus, ferventiorique propriæ integritatis aſſerendæ ſtudio nimium quantum ultra metas abripitur. Dum enim in criminibus Amicorum refellendis totus eſt, ſibique nullius culpæ conſcio pœnas improbis debitas irrogari queritur, ut ne Deum abneget, divinæ providentiæ ideam evertit, & cauſam prodit; volens Deum agere ſecum jure quodam ἀνυπευθύνῳ. Qua hypotheſi ſumma illius tum ſapientia, tum ſanctitas manifeſto læditur; in eo judicii præceps, & in Numen ſanctiſſimum injurius, quod cauſas & rationes ſuimet immitius tractandi, quas deprehendere acie ingenii nequiret, utpote abſconditas atque altius latentes, eas nullas eſſe pronunciare audet. Huic animi morbo perſanando totus liber eſt comparatus.

IN CAPUT X.

Vs. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmavere totum in circuitu; & ſic repente præ-*

præcipitas me?] Hæc tenuia nimis & diluta exiſtimans Coccejus, ſi de vitæ naturalis beneficiis ſolum intelligantur, ad altiorem notionem trahit vitæ ſpiritualis, atque ex voce חסד verſus duodecimi, hunc ſenſum exſculpit; docens hîc urgeri peculiarem gratiam Dei, quæ Jobum inde a primo ortu ſibi vindicaverat in vas electum. *Cave*, ait, *de ſtructura corporis hîc tantum cogites. Imago Dei per Chriſtum illud eſt, de cujus factura & conſervatione hîc agitur.* Acutum profecto, & lynceo oculatiorem habemus Theologum, qui ex acerrima Jobi expoſtulatione, ac tragicis querimoniis, latentem electionis gratiam, obſignationem communionis cum Deo, & dona S. Spiritus ἀμεταμέλητα eruere potuit. At vide, quam male cedat Interpretibus inconſulta libido, placita ſua & ſyſtemata ubique ingerendi & obtrudendi, ratione nulla habita temporum, aut rerum, aut perſonarum? quam abſurdos ſenſus pariat, quam repugnantia connectat; & quæ nullo inter ſe pacto conſiſtere poſſunt, in unum compingat? Jobus ſe immerentem plecti queritur; a Deo, velut hoſte quodam immiſericorditer ſæviente, continentibus plagis confici: indignum clamat, ſe, per totam vitam omni labe purum, nulliuſque ſceleris ſibi

 con-

conſcium, nihilominus metam fieri infeſtis iræ divinæ telis propoſitam; adeo ut nihil aliud quam ultimum exitium exſpectandum habeat. In eo autem divinam opificis ſui ſapientiam & conſtantiam requirit, quod ſe, tam miro artificio ipſius manibus elaboratum opus, tam vigili cura hactenus ſervatum, tot ab eo beneficiis mactatum, nunc nulla ſontica de cauſa abjiciat, abominetur, atque internecioni devoveat. Ejuſmodi ſermonibus Jobus procul dubio ſummam, tum de Providentiæ divinæ erga ſe rationibus *ἀπορίαν*, tum rerum ſuarum deſperationem profitetur. Fac nunc, יגיע כפיך verſus tertii, ſignificare Chriſti imaginem per regenerationem Jobo inſculptam; & per חסר verſu 12°, intelligi gratiam electionis, eidem obſignatam a Spiritu ſancto, cujus dona ſunt ſic *ἀμεταμέλητα*, ut ſemel accepta nunquam amitti queant; adeoque de propria electione quis certior factus, plenam ſalutis fiduciam animo gerat: qui hæc, quæſo, ſtare poſſunt cum acerbis Noſtri querelis, ſe abjici a Deo, qui ipſum inexpiabili odio proſequatur, & exundantis iræ fluctibus uſque & uſque premat, in ultimum tandem exitium præcipitem acturus? Hæccine quæſo ſunt hominis, ſpem ſibi æternæ felicitatis in tuto

tuto collocatam probe ſcientis ; ac proinde neceſſario temporarias miſerias pro tentaminibus habentis, quibus fides ſua & pietas probanda, penitiusque exploranda ſit ? Sic certe Chriſtianum hominem, ac præſertim de favore Dei ac miſericordia in Chriſto, ob regenerationis ſenſum, nihil dubitantem cogitare oportuit, ſi Jobi vices ſuſtinuiſſet. Valere juſſis igitur Scholarum Theologicarum placitis, libere rem dicamus, ut revera eſt. Jobus, Vir integer & Numinis cultor egregius fuit, Chriſtianus non fuit. Solis patriarchalis religionis radiis illuſtratus, non Evangelii diſciplinæ innutritus. Idem de ejus amicis dicendum eſt, qui naturalis Rationis ductum in Numine colendo, & rebus ad Religionem pertinentibus ſequebantur ; niſi quod Elihu infra aliquam Primævæ Traditionis auram, de venia peccatoribus, ope Mediatoris, impetranda hauſiſſe comperitur. Cunctis perſuaſum ex æquo fuit, Deum, ſapientiſſimum mundi a ſe conditi gubernatorem, rerum humanarum curam gerere, leges item ſanctiſſimas nobis dediſſe, cum præmiorum & pœnarum ſanctione ; ſic, ut bonis, ſeque ex animo colentibus bene, malis autem, quibus exoſum eſt Numen, quique, Religione ſpreta, vitia ſectantur,

 male

male eſſe velit. Cæterum ex inaudito Jobi caſu calculos eorum omnes, circa Providentiæ Oeconomiam, conturbatos fuiſſe patet; dum ab una parte tres viri ex diverſa vivendi ſorte, hujusque mundi proſperis & adverſis, hominum mores & genuinam indolem æſtimandam contendunt: Ab alia vero Jobus, qui ſe immerentem malorum vorticibus abripi ſentiret, cum alium exitum non inveniat, rem omnem in Dei jus ἀνυπεύθυνον, vimque ἀυλοκρατορικὴν reſolvit, nec lamentandi fortunas ſuas finem facit. Utroſque ſua opinione falſos arguit Deus, qui in fine libri inducitur, e cœlo veluti delapſus, ut litem implexiſſimam dirimat, ſuamque juſtitiam vindicet, & pleniſſime aſſerat. Cæterum Schultenſius haud ſatis ſe hîc conſtantem prodit. Nam primo ad verſum 3um. Cocceji ſententiam ambabus ulnis amplectitur, & eo uſque probat, ut Schmidio glaucoma ante oculos objectum pronunciet, qui pondus ac decus hujus formulæ non perſpexerit, quæ cum ſtructura corporis elaboratiſſima haud dubie, inquit, complectitur animæ dotes inſignes, imaginis divinæ imitamentum præferentes. Concedit equidem creationem animæ & corporis hic primum tenendam: ſed Jobum ſimul recreationem,

ſive

ſive novam gratiæ creaturam innuere contendit; ex oppoſitione inter ipſum & improbos inſtituta. Verum oppoſitio, unde tale quid extundi poſſit, eo in loco nulla eſt. Quod enim, converſa ad Deum oratione, queritur ab eo ſe ſpretum & abjectum, cujus tamen figmentum manuum ipſe ſit, dum contra, ſcelerata in ſe improborum conſilia proſperat & ſecundat, non ideo negat improbos æque divina manu fabrefactos, aut ſimiliter יגיע כפיו, *opus*, aut *laborem manuum ejus* dici poſſe, quod perperam negaret. Nam improbi juxta ac probi, utpote eadem natura gaudentes, parem utrique originem, eundem ſatorem agnoſcunt, qui ex uno ſanguine fecit omne hominum genus, quemadmodum Apoſtolus docet, Actorum Capite XVII. Sed ejus mens hæc eſt, immane quid ſe, atque abſonum pati, quod Creatoris indulgentia in vitam editus, & paterna huc uſque cura fotus, cum nulla id culpa meruerit, repente de gradu dejiciatur, & perditi cujuſque nebulonis paratiſſima præda fiat.

Porro ad verſum 10mum. pagina Commentarii 272 idem Cl. Schultenſius fatetur, ſe deferere non poſſe ſublimiorem verborum ſenſum; *ſicut lac eliquaſti me*, quo, ſi ei credimus, gratia ſanctificationis

inde ab utero, conſignatur. *Ejusdem*, ait, *opportuniſſimam hic mentionem eſſe nemo non ſentit, cum argumentum inde reddatur ſtringentiſſimum. Cujus acies, ſi intra fines naturæ ſubſiſtatur, non nihil hebeſcat.* Verum ignoſcant mihi manes Viri merito ſuo celeberrimi ac omnigena eruditione pollentis, ſi dixero, eum Orientalis litteraturæ divites gazas magis habuiſſe in numerato, quam legitima de rebus Theologicis diſputandi principia. Tantum certe me hîc ab ejus placitis diſſentire agnoſco, ut plane contrarium affirmare audeam. Plane hebeſceret hoc in loco argumentum Jobi, ſi gratiam intenderet Spiritus ſancti, quæ ipſum a primo ortu in vas electum vindicaſſet, communique corruptioni eatenus exemiſſet, ut in ipſum dominari haud ſineretur. Hebeſceret, inquam; imo tota ejus diſputatio eo pacto adeo inſulſa atque amens deprehenderetur, ut male ſani ſincipitis argumentum præberet haud ambiguum. Quid enim Spiritus ſancti dona commune habent cum hujus vitæ proſperis rebus, ut has illis individuo nexu hærere oportere ſtatuas? Quænam hæc, amabo, ſequela eſt? electionis gratiam a Deo ſum adeptus, me igitur æquum eſt morbis, doloribus, damnis immunem eſſe. Quantum hinc abludit

ludit Chriſti doctrina! quam diverſa do- Philip.
cet Paulus, dum conformes Chriſto in III. 10.
ærumnis eſſe debere, qui ejus imaginem & alibi
gerunt electi, uſque & uſque inculcat in paſſim.
Epiſtolis. Deinde, juxta Interpretis noſtri ſententiam, probe noverat Jobus, regenerationis gratia donatum, ea nunquam excidere, ac ſemel in Dei filiorum cenſum adlectum adoptionis jure, fieri non poſſe ut τέκνον ὀργῆς evadat, Deumve ſibi adverſantem unquam amplius experiatur. Sic ut Jobus de ejus amore prorſus ſecurus conquieſcere debuerit. Niſi forte hæreticum fuiſſe hominem ſtatuas, qui cum Pontificiis, ſemel vera fide & 2 Pet. II.
ſanctimonia imbutum, in mundi ſordes 20, 21.
atque impietatis cœnum denuò immergi poſſe exiſtimaret, deſerente eum gratia. Non moror argumentum ex lactis & caſei ſimilitudine ductum, verſu eo, quo urgeri Schultenſius cenſet peculiarem gratiam Dei, oppoſite ad lutum, quod ſibi cum reliquis mortalibus commune agnoverat præcedente verſu. Ubi ego neutiquam ipſi, uti Schmidio ipſe fecit, ex inolitis præjudiciis obortum glaucoma improperare velim; ſed gratulor potius ex Syſtemate illitum oculis collyrium, unde clare cernat aliis inviſitata. Abſque eo ſit enim, quis unquam diſcrimen horum ver-

ſuum perſpexerit, ut verſu nono, illud quod Jobo cum reliquis mortalibus commune eſt memoretur, decimo autem peculiaris Jobo prærogativa; per *lutum* mortalitas abjecta & impura, per *lac* & *caſeum* dotes ſpirituales indigitentur. Poſtmodum tamen titubat Vir Clar. & hæret, parumque abeſt, quin Cocceji ſui figuratam interpretationem, ægre id quidem, atque invito animo, ſed iis, quæ in ea ſponte occurrunt, incommodis deterritus, in totum deſerat. Vide Schult. Comment. p. 273.

IN CAPUT XI.

CAP. XI. 7. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & uſque ad perfectum, Omnipotentem reperies?* 8. *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces?* 9. *Longior terra menſura ejus, & latior mari.*

Circa Naturæ divinæ τὸ ἀκατάληπτον, & nobis inſitam Dei ideam excurſio.

OBmutuit Simonides, teſte Tullio, dum interrogaretur a tyranno Hierone, quid ſit Deus? ſuſpenſus hæſit, & ampliandum ratus, deliberandi ſpatium popoſcit, quo maturius expenderet, quid ſibi de tam ardua quæſtione foret conſtituendum. Diludiis elapſis, novas ſubinde re-

reſpondendi moras nexuit: tandem confeſſus, quo magis rem perpenderet ſecum, eo obſcuriorem, & indagatu abſtruſiorem videri. Nec ſane immerito, ſi quid Sopharis hîc auctoritati tribuimus. Neque enim Tullii, ſcepſim ſuam Academicam ubique ingerentis, judicium ſequor, qui ob id Simonidem cenſet *deſperaſſe omnem veritatem*. Quid enim quæſo? num inde
De Nat. Deor. Lib. I. Cap. 22.
conſequitur Dei notitiam apud nos nullam eſſe? non inſitam nobis ab ortu ipſo, & mentibus inſculptam Dei ideam? Ejus plane contrarium indidem elicere proclive eſt. Unde enim profectum, quod divinæ naturæ acatalepſia apud omnes in confeſſo ſit, niſi quia infinitum Deum concipimus? Cur autem ſic de Deo cogitare neceſſe habemus? quoniam nempe id fert nativa Dei, quam animo impreſſam gerimus, notio. Namque unice ex eo, quod, quid ſit Ens infinitum (*a*) probe ſcimus, inde, inquam, fit ut judicemus, tale Ens perfectum & abſolutiſſimum in ſe, intelligentiam noſtram omnibus modis ſuperare; adeo ut illud nec cogitatione complecti, nec mentis acie pervadere, nec meditatione aſſidua veluti exhau-

(*a*) Anaximander ipſe docuit principium omnium rerum eſſe τὸ ἄπειρον. Vide Diog. Laërt.

Digitized by Google

haurire queamus. Ac primo obſervandum venit, quam in ea re fallantur Athei, & πρῶτον illud ψεῦδος detegendum eſt, quo univerſa laborat illorum ratio. Nimirum ipſis (*a*) ſolenne eſt ἀκατάληπτα confundere (*b*) cum ἀσυςάτοις. Quam inſipienter vero! quam ſtolide! Contradictoria quæ vocantur, eorum certe idea nulla eſt. Sed tamen ex hujuſmodi exſurgunt quæ clare percipimus, ex notionibus quippe evidentibus & diſtinctis, quas mens ſeorſim ſumptas optime capit; ſed ſi easdem in unum compingere velis, tum ſtatim evaneſcere comperies, quoniam ſemet mutuo tollunt, & evertunt. Nihil autem ex naturæ divinæ intuitu ſimile accidit. Multimodas perfectiones ei adſcribimus, quas tantum abeſt ut diſcordent inter ſe, ſeque invicem evertant, ut contra eas omnes ad unius ejuſdemque Entis, ſcilicet Dei, naturam neceſſario pertinere judicemus; cujus eadem opera confitemur majeſtatem & excellentiam, humani intellectus limites immenſum quantum ſupergredi. Quod vero ſic ſtatuamus, id a certa quadam cognitione, ſeu idea, nos habere neceſſe eſt.

Age

(*a*) Vaninus in Amphitheatro ſuo Providentiæ tali ſophiſmate uſus eſt.

(*b*) Adi Cudworth *true intellect. Syſtem.* B. I. Ch. 2. pag. 63.

Age nunc, periculum fiat, & ut dilucidius pateſcat quid velim, in altum illud divinarum perfectionum pelagus expanſis velis invehamur pauliſper. Prima ſtatim occurrit in Ente abſolutiſſimo ipſa exiſtendi neçeſſitas, qua ſit ut aliunde neutiquam pendeat, ut nihil quicquam alienæ efficaciæ debeat, ipſum ſibi ſit origo, principium & fons exiſtendi; adeo ut ſi quis dixerit, illud per unum momentum poſſe non exiſtere, effati illico abſurditas appareat. Dic quæſo, an ejusmodi Ens capimus, & mente comprehenſum tenemus? minime quidem, cum nos longe diſpari conditione exiſtamus, utpote qui, quodcunque poſſidemus, extrinſecæ cauſæ ferimus acceptum; precaria tantum fruentes exiſtentia, qua quoniam olim caruimus, quovis momento eam amittere poſſe, nihil vetat. Probe intelligis nihilominus exiſtendi neceſſitatem ad infiniti Entis naturam pertinere. Inde æternitas conſequitur, cui exiſtendi nec principium, nec finis eſt. Inde quoque haud ſtupenda minus immenſitas Entis, quod mundi amplitudinem, ſua propria, ut ita dicam, abſorbet, quod rerum naturæ ambitum complectitur, quod ubique, non conditis corporibus ſolum, ſed per infinita, quæ cogitari poſſunt, ſpatia, præſens adeſt.

adeſt. Unde vero ambo hæc τῦ θεῖυ idiomata nobis noſſe datum? Nempe hæc plane comprehendimus, æterni nos, atque immenſi ſcilicet! nemo ſanus dixerit. At utrumque tamen Enti abſolutiſſimo competere, pro certo tenemus. Jam quoties nobis Ens abſolutiſſimum obverſatur, ei infinitam intelligendi vim tribuere oportet, quæ præterita, præſentia, futura, omne ſcibile denique, complectatur; cui nihil excidat, aut lateat, quam fugiat nihil, quæ cuncta, quot ſunt, aut eſſe poſſunt, uno obtutu, non proceſſu quodam, aut perplexa ratiocinii via, ſed non erranti & indefeſſo oculo cernat; quæ omnes rerum naturas, vires, formas, ſcheſes mutuas, habeat in numerato. Tali porro ſcientiæ Omnipotentia comes hæret indivulſo nexu. Iſta vero æque limites reſpuit, cùm ad ea, quæ intellectus concipit omnia, porrigat ſeſe. Huic nihil obſtat, nihil operoſum aut arduum eſt, cui nempe, dicto citius, quicquid vult, præſto adeſt. Quæro rurſus, an facultatem illam inexhauſtam ſciendi operandive ſcrutari noſtrum eſt! An imbecillis homo, ac tam denſa undique caligine mentem circumſeptus, adæquatam ſibi utriuſque ideam efformabit? Plane vecors & amens ſit, qui id affirmet. Sed quod ſciamus indu-

dubitanter talia Deo competere, id profecto nos alicui, quæ nobis inſit, ideæ debemus. Tandem Deum ſcimus eſſe optimum, qui titulus ſapientiam & ſanctitatem cum bonitate conjunctam repræſentat. Sic affectam Dei naturam eſſe percipimus, ut ſemper amet, ſemper probet, ſemper agat, itidemque a creaturis amari, atque effici velit, quæcunque veritati, atque rationi rerum immutabili, aut mutuis, quas inter ſe ſcheſes ſuſtinent; apta, congrua, & conſona deprehenduntur: ut ſumma erga creaturas æquitate & benevolentia ductus, quod maxime illis bonum & conducibile eſt, deſignet, atque adminiſtret. His adde naturam ſibi uno tenore conſtantem, nullis viciſſitudinibus obnoxiam, cui nihil accedere queat, aut decedere, cui ne mutationis quidem umbra ſubſit. Eandem unam & ſimplicem, & cum ſibi ſola ſufficiat, ultra quam dici aut cogitari poteſt, beatiſſimam. I nunc, ó miſer homuncio! talem Naturam ſcrutare; in hanc abyſſum immitte te, ejus fundum exploraturus! Age, ſume animos, ut æterna ejus conſilia veſtiges, atque multiformem providentiam, in gubernatione rerum humanarum, ad tuæ Rationis normam, aut ſapientiæ amuſ-

amuſſim exigas. Eò enim ſpeciatim (*a*) Sopharis ſermo collineat, ut Deum inſimulanti Amico, & multa tumultuanti, (*b*) velut capiſtro injecto, os obturet. Ex quo ſermone occaſionem ſumſi libens coarguendi nonnullos noſtræ ætatis Philoſophos. Namque illi, quo conſilio id faciant neſcio, nobis omnem prorſus Dei notitiam abjudicant; ejus ideam noſtris animis ineſſe præfracte negant; aut exilem quandam, & negativam tantum concedunt, velut ex umbra creaturarum maligne extortam. Nimirum inquiunt, Deus infinitus cum ſit, eum nequaquam comprehendimus. Do id ipſis lubens, & cum Sophare maxime urgeo. At inde vehementer nego effici, quod volunt; nos nempe non habere veram ideam Dei, quod plane aliud ſonat. Unde eſt enim quod novimus Deum eſſe infinitum, ejusque eſſentiam talem, quæ a noſtra mente penitus pernoſci nequeat? Nempe quia Dei, id eſt Entis neceſſarii, infiniti, perfectiſſimi, [nam hæc tria ad idem redeunt:] Speciem animo impreſſam gerimus. Inde fit, quod tuto adfirmare licet, Deum totidem, quot recenſui, imo aliis præ-

(*a*) Conſule a. l. Vavaſſoris notas.
(*b*) Pſ. XXXIX. ỳ. 2.

præterea innumeris perfectionibus gaudere, & ejusmodi quidem, quarum immenſitas intellectus humani captum ſuperat. Fundamentum, quicquid ajant, & radicem oportet nobis adeſſe talis aſſerti, quæ alia eſſe nequit, quam vera & *poſitiva*, ut cum ſcholaſticis loquar, Numinis idea. Suam enim, quam aſſidue oggerunt, quæ ſolis negationibus conſtet, aut collectitio acervo finitarum rerum, nihilo plus adjumenti præbet tuendæ Sopharis aſſertioni, aut tali ſententiæ circa eſſentiam divinam ferendæ, quam ad percipiendum quid ſit lux, conferre poſſunt tenebræ Cimmeriæ. Nec eo pacto voces illæ, *Deus*, *Ens infinitum*, aut *perfectum*, quicquam adferunt, præter merum ſonum, cui nullus ſubeſt intellectus. Quin potius igitur illud nobis fixum & ratum eſto; ſi vera docet Sophar; ſi neque Dei *veſtigia comprehendere* mortalibus licitum, nec *uſque ad perfectum Omnipotentem reperire*; ſi *excelſior* ejus natura *cœlo eſt*, *& profundior inferno*; ſi *longior terra*, *menſura ejus*, *& latior mari*; exinde illud eſſe, quoniam ipſi infinitatis idea id revera exhibet, quod omnem a creaturis menſuram petitam reſpuit, quodve ſi quis intellectus noſtri anguſtiis capi poſſe exiſtimet, idem Oceani fluctus in ſimpulum cogere præſumat.

Profecto, niſi *diſtincta* nobis & *clara* ſuccurreret Entis omnibus numeris abſoluti idea, nunquam ne in ſomnis quidem excogitatum a nobis fuiſſet, Ens dari in natura rerum, cujus *adæquatæ* ideæ mens, aut humana, aut angelica, nequaquam par ſit.

Nunc propulſata neotericorum Sophorum importunitate, venio ad Atheos, quibuſcum paucis, quod reliquum eſt negotii, tranſigam. Evicto enim, dari veram ideam Entis perfectiſſimi, facile demonſtratur, originem ei aliquam & cauſam adſignandam; quæ nulla alia eſſe poteſt, præter ipſiſſimum ejus exemplar, Deum ſcilicet ter opt. maximum. A nihilo enim emerſiſſe, abſurdum eſt. Ex rebus ſenſilibus conflatam, quæ toto genere diſcrepant, ſanæ rationi repugnat. Et quandoquidem ejus objectum neque τῶν ἀδυνατούντων, neque τῶν ἀσυστάτων cenſui adſcribi poteſt, quod ipſa illa vera ſatis monſtrat idea, oportet Deum exiſtere, qui talem ſui imaginem, velut ſigillum, mentibus inſculpſerit. Sed hæc longius perſequi propoſiti operis ſumma vetat. Qui luculentius tractata cernere cupit, Virum adeat vere Philoſophum, quo nemo præſtantius, ſi a ſcriptoribus cœlitus adflatis diſcedamus, divina tractavit, RENATUM CAR-

TE-

TESIUM. Nobis vero inter tricas grammaticas, & Criticorum ſpineta oberrantibus, cum bona lectoris venia, oblatam occaſionem gratulor interquieſcendi pauliſper, ac per amœnos mundi intellectualis campos ſecure exſpatiandi; dum ſic præſertim divinarum virtutum contemplationi, qua nulla animis noſtris accidere jucundior poteſt, immorari licuit. *Ut enim in hac ſola ſummam alterius vitæ felicitatem conſiſtere, fide credimus, ita etiam jam ex eadem, licet multo minus perfecta, maximam, cujus in hac vita capaces ſimus, voluptatem percipi poſſe experimur.* Carteſ. Medit. III. in fine.

Vs. 10. *Si ſubverterit omnia, vel in unum coarctaverit* &c.] Sententiam Sopharis involvunt & obſcurant, qui ſic reddunt. Neque enim quo hæc verba reſpiciant, quive intellectus ſubſit, dicere facile eſt. Nec interpretatio Clerici multò plus lucis adfundit; *ſi mutarit, ſi clauſerit, ſi congregarit, quis eam revocabit? ſapientiam* ſubaudiendo, ancipiti valde ariolatione, quorſum hæc tria verba ſint referenda. At feliciter rem expedivit acutiſſimus Crinſos, qui ſic habet: *S'il penétre tout, il renferme auſſi tout, il embraſſe tout: & qui pourroit le faire retirer d'un lieu?* Quæ ad vocum Hebræarum nativam vim & proprietatem

expreſſa, ſenſum præbent appoſitiſſimum. Immenſitatem divinæ naturæ deſcribit Sophar, quam jam ante verſibus 7—9. memoraverat; atque ea ſuper hoc argumento diſſerit, quibus Philoſophi noſtri nihil poſſent accuratius. Omnia Deum pervadere, ſimulque omnia continere, coërcere & complecti infinitate propria, ſic ut nullus ſit locus, unde arceri, aut a quo abigi poſſit, ומי ישיבנו. Huic notioni immenſitatis ſuperſtruitur idea divinæ providentiæ, quæ omnia perſpecta habet, omnibus moderatur & curam adhibet, facta & cogitata hominum cuncta obſervat & regit; adeo ut recte aut prave geſtorum rationem ſemper ſit habitura, ut mox verſu 11mo. dicitur. Confer quæ infra Jobus, XXIII. 8—10. ibique notam. Notiones *invadendi*, *cippo includendi*, *incomitiandi*, quas prætulit Schultens, ut loco alieniores, rejicimus, ipſo nexu repudiante. Pœnarum enim, quibus ſontes mulctat Deus, mentio intempeſtiva; loquente Sophare de naturæ divinæ inacceſſis, in quam penetrare ſeſe ut penitus perſcrutetur, & tanquam jacta bolide imum petat, & עד תכלית מצא, mortali nefas. Nempe altitudines cœlorum &c. cujus infinitio calculos noſtros, & menſuras reſpuit. Dein noſtro verſu immenſita-

ta-

tatem illam, preſſius deſcribit, ut inde colligat mirum non eſſe, cum ubique locorum præſens adſit, ſi ſecreta atque intima uniuſcujuſque pernoſcat. Unde Pſaltes, Pſ. CXXXIX. 6. qui gemina dictis Sopharis & ſimillima diſſerit, meritò exclamat: *Mirabilis eſt tua ſcientia præ me, ſublimis eſt, non valeo ad ipſam pervenire* נשגבה לא אוכל לה. Et merito quidem id agnoſcit. Haudquaquam enim humanæ mentis ea vis eſt, ut ad tantam altitudinem adſurgat, aut ulla ratione capere poſſit divinam ſciéntiam, quæ quicquid ubivis geritur, plane perſpectum habet, & tenet in numerato; cui nihil eſt abſconditum, quam effugit nihil; quæ res omnes, quamlibet diſſitis ſpatiorum aut temporum intervallis ſejunctas, præſens præſentes cernit & complectitur. Ex hoc porro loco obiter obſervandum, Dei omnipræſentiâ, aut ubique ſimul exiſtendi vi, quæ ſequentibus verſibus tam magnifice depingitur, hanc ineffabilem ſcientiam niti. Quo minus mireris, Deum futurorum, ut vocant, contingentium certiſſimam notitiam habere. Ea etenim, ſi probe rem putaveris, neque inconſultò Numinis immenſitatem ex noſtris anguſtiis metiri, aut arctis hominum cogitandi modis circumſcribere libeat, ea, in-

 quam,

quam, notitia fundamentum habet in ipſius Dei natura, quæ infinita cum ſit, nullis omnino, nec locorum terminis, nec temporum articulis aut limitibus coërcetur, non adfixa magis huic, quam illi loco, non potius in hoc, quod præſens vocamus, quam in quovis alio labentis ævi momento, ſuum exiſtendi actum incluſum habens, ſed propria infinitate omnes temporis, ſicut loci, partes, numeros & limites ſupergreſſa. At quis id capiat, dices, Deo omnia præſentia eſſe, nullo præteritorum aut futurorum diſcrimine? Ratio, inquam, ſimul nos, & hoc verum eſſe docet, & a nobis capi non poſſe. Utrumque diſerte Pſaltes teſtatur:
Pſ. CXXXIX. 6. *Mirabilior ſcientia tua præ me* &c. Id nempe hîc uſu venit, quod ſæpius alibi, ut firmiter credere ex certiſſimis cauſis neceſſe habeamus, quod tamen quale ſit, nulla ratione intelligendo adſequi poſſimus. Sed memet a jucundiſſima contemplatione revoco, & ad inſtitutum redeo, dum prius monuerim, hæc abſtruſiora, quæ metaphyſica vocantur, neutiquam intempeſtive ingeri, neque a ſacro textu aliena judicanda. Quando enim philoſophicas notiones S. Scripturæ interpretationi negatur, & ſapienter quidem, adhiberi debere, de iis, quæ rerum natura-

lium

lium cognitionem ſpectant, illud intelligendum; minime vero de iis, quæ circa Dei attributa, naturam, & perfectiones verſantur. Nemo, certe, unquam dignius de his & accuratius philoſophatus eſt, aut ἐθεολογεῖτο, ſcriptoribus a Spiritu S. actis; ut aſſeverare auſim, quo quis profundius ſeſe in Naturæ divinæ contemplationem immerſerit, eo melius vim & mentem ſacræ paginæ, quando de his ſermo eſt, intellecturum.

IN CAPUT XII.

Vs. 4. *Qui deridetur ab amico ſuo* &c.] Quotquot novi Interpretes, hoc loco ceſpitant, velut in tenebris palpantes, ali'udque alii ſequentes, nihil extundunt, quod ſenſum fundat tolerabilem. Periclitemur nos quoque, num cimmerias tenebras, quibus circumſeptus jacet, diſcutere poſſimus. Id autem levem operam requiret, modo τὸ אהיה, quod hic maximum negotium faceſſit, a præcedenti לרעהו divellas, quocum ab univerſa Interpretum turba perperam, ni valde fallor, connectitur, & ſequentibus copules. Ut hæc verba, אהיה קרא לאלוה ויענהו, per parentheſim inſerta concipiantur, & tota pericope ad hunc modum reddatur: *Lu-*

dibrium ſocio ſuo, (*at Deum apellabo qui ipſi reſpondebit*, i. e. eum redarguet, ſcommata ſua ipſi & ſalſas irriſiones in os retundet) *ſic eſt*, inquam, *ludibrium ſit ſocio ſuo juſtus atque integer.* Ignea verba ſunt, ex æſtuanti corde, tanquam Aetnea fornace prorumpentia. Ubi ἀναδίπλωσις vocis שחק, & ſubinterpoſita Numinis obteſtatio, miſere vexatam innocentiam certo certius vindicaturi, cauſamque Jobi proditam contra amicos ipſi obtrectantes ſuſcepturi, mire congruit cum vehementiore affectu, quo Jobum agi par eſt. אהיה קרא לאלוה *Deum inclamabo.* Simili adfectu David, Pſalmo XVIII. vs. 4. מהלל אקרא יהוה *clamabo ad Dominum*, & *ab inimicis meis ſalvabor.* Qui eadem ſibi quoque tribuit, quæ hîc Noſter. *Extiti integer cum ipſo* ואהי תמים vs. 24. & *reddidit Dominus ſecundum juſtitiam meam*, כצדקי vs. 25. ענה *reſpondere*, pro *confutare* ſæpe uſurpatum, nulla probatione indiget. Si tamen exemplum requiras, ecce tibi luculentum infra XV. 6. שפתיך יענו בך *labia tua coarguent te.* Fateor ex verſione acutiſſimi Crinſos ſententiam provenire ſatis commodam; ut μέλπηθρον illud, ſeu ἐμπαῖγμα. εἴλαίρε dicatur eſſe; *Deum comprecetur*, & *audiet ipſum*, *ipſiusque votis annuet.* Iisdem fere verbis Pſal. XXII. 8, 9. juſtum improbi, id

id eſt Judæi Meſſiam ſubſannant. *Devolvit ad Dominum, evadere eum faciat, eripiat eum, nam delectatur ipſo.* Belliſſime id ſeſe haberet, niſi ipſa textus Hebræi verba apud Noſtrum obluctarentur. At noſtra expoſitio ex iis ſponte naſcitur, ut inde ſenſus fluat limpidiſſimus, & ad præſens Jobi πάθος ſic appoſitus, ut nihil ſupra. De ſe primum tertia perſona loquitur, ut paſſim in hoc libro videre eſt, שחק רעהו; deinde ex ardenti animi impetu primam adſumit. *Te apello, ô Deus! iniquitatis ultorem, innocentiæ vindicem, ut ejuſmodi opprobria retundas!*

Vs. 5. *Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus ſtatutum.*] Codurcus, pro acumine ſolito, hic ſenſum exſculpit, ſatis prima fronte blandientem. עשתות vel ut in nonnullis codicibus reperit Buxtorfius לעשתות ipſi notat *ad prælucendum*, aut *ad illuminationem:* unde facili negotio hunc adagionem eruit. *Fax eſt inutiiis ad prælucendum ei qui firmus eſt; ſed admovenda nutanti & titubanti.* Qua parœmia ſignificaret Jobus, ſibi ejuſmodi monitoribus opus non eſſe, qui ſibi monſtrare velint viam, haudquaquam erranti aut titubanti. Servent, inquit, talia præcepta indigentibus. Se vero ſatis ſcire quid ſentire, quid agere debeat, ſi-

bique rerum ſuarum optime rationem conſtare. Schultenſiana Metaphraſis hîc non temere prætereunda. Ea ſic habet. *Calamitati vilitas adeſt apud ſplendidam proſperitatem ſecuri, percuſſio flagellans vacillantibus pede.* Splendidam vero nobis facem accenſam, quæ S. Scriptoris ſenſum indagantibus præluceat! Moroſioribus forſan Criticis לפיד בוז appellitanda potius, & ellychnium fumans. Ignoſcant mihi φιλάραβες, ſi dixero, quod ipſos ultro fateri neceſſe eſt, illam caliginoſum quid & horridiuſculum præ ſe ferre ſic ut ad eam intelligendam verſionem quis nova iterum verſione indigeat. Quod, quæſo, loquendi genus illud eſt, *apud proſperitatem ſecuri hominis vilitatem adeſſe calamitati*? Quisquamne hoc capiat aut ferat? Tum *percuſſio flagellans*, vereor ut ſatis venuſte dictum! Aut ne, contra, Romanis auribus ſcabrum atque aſperum cenſeatur. Parum felices, profecto, Arabes, quibus non alia ſuppetunt emblemata & lumina orationis! Miſeros illos, quorum ſenſa talibus vepretis atque horrentibus ſpinis obſepta lateant! Fruſtra hîc nobis obtendas Orientalium populorum ſtilum, a noſtra, hominum ſcilicet, occiduas & ſeptemtrionales plagas incolentium, loquendi conſuetudine

Digitized by Google

dine ſic abhorrere, ut ex hac, de illo judicium recte inſtitui non poſſit; fruſtra, inquam, id cauſaberis, ut eo prætextu adeo violenta & incondita S. Scriptori ſecurus obtrudas. Orientalem equidem illum ſtilum, valde diſcrepantem a noſtro, nempe audacem, conciſum, figuratum, ſublimem, verborum parcum, ſenſibus refertum, in veteris Teſt. libris ultro agnoſcimus, qui ab omni ævo apud Orientales viguit: at rectum eundem & ſimplicem, cum nativa quadam majeſtate, a pompatica, turgida, vibrante, & circumtortili recentiorum Arabum elegantia probe ſecernimus, quam Jobi æquales procul dubio tanquam alienam toto animo reſpuiſſent. Nihil agunt igitur, qui inauditas emphaſes, & portentoſa troporum genera Orationi Jobeæ adfingentes, ſe defendi putant auctoritate Scriptorum, qui poſt Mohammedis ævum in Perſia aut Arabia floruerunt. Parum eos hîc juvat ambitioſus orientalis eruditionis apparatus, cum ſimplex ille priſci ævi decor a recentiorum fuco, cincinnis & calamiſtris, totis paraſangis diſtet. Neque magis ad Coranum, ad Saadi, ad Haririum & Hamaſam Jobi ſermo exigendus eſt, quam ex Græculorum infimi ævi ſcriptis, de Platone & Demoſthene judicium ferendum. Ad textum

tum noſtrum redeamus. Optime illum expreſſere Genevenſes, abſque ulla dialecti ſororiæ ope, cuique voci propriam &. indubitatam reddentes poteſtatem, per לפיד *lampada* vel *facem* intelligunt, acceptione notiſſima. עשתות *cogitationes* reddunt ex uſu chaldaico, idem quod עשתנות Pſalmo CXLVI. 4, *cogitationes ſuperbas* aut *ſplendidas* ſonans. נכון pro *paratum* ſumunt, ſignificatione obvia. Unde nulla vi, inſolentiore hyperbate nullo, nativus pericopæ ſenſus talis exſurgit; *is qui in ruinam præceps agitur, apud fortunatos pluris non ſit, quam lampas mox extinguenda.* Eandem ſententiam expreſſit Crinſos, ſed ſuis tropis exutam; quod gloſſatoris potius eſt, quam interpretis.

Vs. 7. *Nimirum interroga jumenta* &c.] Quorſum hæc verba ſpectent ſatis patet, ut de nexu nihil laborandum ſit. Nimirum ad ea, quæ reliquo capite circa Dei ſummum imperium, omnia adminiſtrantis ac ſub ditione habentis, diſputantur. Id quocunque te convertas, uno ore prædicant creaturæ. Nexus a verſu tertio repetendus, ubi Sophari, ſapientiæ divinæ altitudinem memoranti, reponit Jobus, eo etiam non docente, talia ſibi pridem nota eſſe, את מי אין כמו אלה (eadem locutio recurrit infra XV. 9. ולא עמנו הוא) nulli

Ami-

Amicorum ſe in ejusmodi ſcientia concedere, utpote qui mentis oculos ſatis acres habeat, ad ea præſertim diſpicienda, quæ nemo eſt cordatior, qui ignorare poſſit. Enimvero, pergit, id te animalia docebunt, &, muti licet, piſces prædicabunt, providentiam omnia moderantem. Tres verſiculi a quarto ad ſextum, per parentheſim, noſtro ſcriptori familiarem, inſerti, huc non reſpiciunt, ſed improbum & durum ſodalium in ſe animum exagitant.

Vs. 16. *Ipſe novit & decipientem & eum qui decipitur.*] Hebr. לו שגג ומשגה. Maſſorethæ לא adſcripſerunt margini; verentes nimirum, ne Deo fallendi conſilium adſcribi videatur, ac memores ſolennis apud Magiſtros regulæ; *pereat littera de lege, & ſanctificetur nomen Dei benedicti.* At nullum hic erroris periculum fuit! Bonum quidem ſenſum ea fundit emendatio, diſerte ab Apoſtolo Jacobo Epiſt. ſuæ Cap. I. vs. 13. inculcatum, neque errare Deum, neque in fraudem inducere quemquam. Atqui non erat his locus, patetque ex immediate ſequentibus, receptam lectionem minime ſollicitandam. Agitur enim de Dei ſummo circa res hominum moderamine, cui quævis eorum facta, dicta, conſilia ſubeſſe neceſſe eſt. Sic ut nullus

apud

apud mortales exiſtat aut deceptor, aut deceptus, quin talis ſit, volente Deo, id eſt fieri ſinente, cum prohibere poſſit. Quæ toto cœlo diſtant ab actu ipſo in peccatum propellendi, quem hîc loci Mercerus, haud ſatis pie, nec ſapienter magis, adfingit Deo. Fruſtra duriorem vocem, quam potius emollire debuerat, defendit Schultenſius. Quod ſi a maleferiata doctrina imbelle, ut loquitur, Schmidii telum repulit, non ideo eam vindicaſſe cenſendus eſt, potentiori ariete admoto illico convellendam. Certe δὶς διὰ πασῶν diſcrepat, ſi doceas, aliquid fieri providente Deo, neque id, cum facile poſſet, ob certas rationes prohibente; an vero illud Dei impulſu & efficaci decreto perfici ſtatuas.

IN CAPUT XIII.

Vs. 9—11. *Aut placebit ei, quem celare nihil poteſt* &c. *Statim ut ſe commovit, turbabit vos* &c.] Non ſunt hæc ad ultimi judicii expectationem trahenda, ut Schultenſio placuit, cum de qualibet inquiſitione divina accipi poſſint. Occulte tamen reſpici videtur totius negotii exitus. Vide notam ſupra ad Cap, VIII. 7.

V. 14. *Quare lacero carnes meas?*] Egre-

giam

giam huic & ſequenti commati operam navavit, & certiſſimam interpretationem aperuit eruditus Schultens, vero ſenſu τῦ על מה, & locutionis hujus, *tollam carnem meam in dentibus meis*, expedito. Male Geneyenſis vernacula per interrogationem; *pourquoi portai-je ma chair entre mes dents?* quod potius affirmatione reddendum, hoc modo: *M'arrive ce qui pourra, je porterai ma chair entre mes dents, & mon ame entre mes mains, dût-il me tuer, & ne me laiſſer plus d'eſpérance; n'importe, je deffendrai ma conduite en ſa préſence.* Cæterum ſi Pontificios enarratores adeas, mira hic τερατεύουσι. Quippe iis Jobus Chriſti typum gerit, manibus proprium corpus geſtantis in S. Cœnæ inſtitutione. Et inde tam validum & firmum ducunt pro Transſubſtantiatione argumentum, quam illud eſt Codurci ad Cap. infra XXXIX. 33. ex Chriſti parœmia. deſumpti, *ubi cadaver, ibi aquilæ*, pro orali carnis dominicæ manducatione. Dignum enimvero tale dogma fuit, quod ejusmodi argumentis fulciretur.

Vs. 19. *Quis eſt qui judicetur mecum? Veniat.*] Mirum dices, quî Jobus Deum ad certamen provocare audeat, poſtquam hanc ſibi theſim defendendam ſumpſit, fatente Schultenſio ad hujus Cap. verſum primum, *occultis & humanæ ſapientiæ im-*

imperviis rationibus univerſum hocce gubernari. Hac enim ſemel poſita, nihil ei reſtare videbatur, quam ut os comprimeret, prophetæ exemplo Pſalmo XXXIX. 10. Atque imperſcrutabilibus divinæ providentiæ conſiliis acquieſcendo, ab omni expoſtulatione aut conteſtatione abſtineret. Amicorum, ſane, falſa crimina depellat, eorum in ſe iniquitatem coarguat, quod ex calamitatibus obortis malarum ſuſpicionum anſam arripuerunt; jure cum ipſis agit. Verum ſemel agnito, divinæ adminiſtrationis leges mortalium captum ſuperare, quid eſt, quod objiciendum habeat Deo? aut qua ſpe inductus, veluti conteſtata lite, cum eo pedem ſtruere poſcat? Cur igitur non conticeſcit, providentiæ vias, quas perveſtigari poſſe negat, prono animo adorans? Cur cauſæ ſuæ apud Deum agendæ tanta eum inceſſit cupido? Si enim ex notis æquitatis legibus eum convenire nequit, ecqua ſpes cauſæ obtinendæ relinquitur? Verbo reſpondeo, objectores a genuina Jobi mente aberrare. Non ipſe, certe, cum Deo expoſtulat, quod furioſum fuiſſet, aut veluti cum actore reus litigat; ſed contra, ad ejus tribunal provocat, tanquam eo teſte & judice criminibus Amicorum abſolvendus, & quæcunque demum cauſa

fuerit

fuerit inferendarum plagarum, ab omni tamen ſcelere immunis pronunciandus. Atque illud eſt, quod ultimo vitæ diſcrimine, imo præſentiſſima morte emptum velit. Apud amicos hucuſque Dei proprie cauſam oraverat, ſuæ ſimul innocentiæ patrocinaturus, atque oſtenderat, eum pro ſummæ tum poteſtatis jure, tum abſconditis ſapientiæ rationibus, bonos ſæpe velle ultimis conflictari miſeriis. Sed videns fruſtra hæc ſurdis cani, atque eadem ſemper chorda oberrantibus, tandem Dei tribunal appellat, certa conſcientia fretus, ex ipſius ore palam audituros, quicquid Jobo plagarum incuſſerit, aut ulterius paſſurum decernat, id eum nullo ſuo merito pati. Non nimis ſtricte igitur ſumi debent & urgeri voces ריב, הוכיח, משפט (*a*), ערכתי, quando ad Deum referuntur; ſed molliori ſenſu accipi, de ordinanda lite, atque oranda apud judicem cauſa. Confer infra XVI. 20. Verſus ante 16mus idem filum ſequitur. *Quin id ipſum mihi ſaluti erit*, ſic optime vertente Schultenſio, quaſi diceret; certiſſime vincam & cauſam obtinebo, provocando ad cordis & renum ſcrutatorem, qui ſinceram pietatem ut a fucata ſecer-

(*a*) Vide Druſium ad ℣. 3. hujus Cap.

ſecernit, ſic & teſtimonio ſuo comprobabit. Non agitur ibi de liberatione a miſeriis, ſed de victoria in diſceptatione cum amicis reportanda.

IN CAPUT XIV.

Vs. 5. *Breves dies hominis ſunt &c. conſtituiſti terminos ejus.*] Hujus verſus cum ſequentibns nexus obvius, non patitur præpoſitionem אם alio ſenſu ſumi quam conditionali, tali flexu: Si humanæ vitæ tam brevia ſpatia „ dimenſus es, ut illam „ extra præſtitutum terminum protrahi „ per te non liceat; obſecro te, ô Deus! „ remove ab eo aciem oculi tui, ut a la„ bore & moleſtia requieſcat & ceſſet ali„ quantulum; quando etiam mercenario „ diurnæ operæ remiſſio datur". Errant qui ex eo loco probare volunt, fixum uniuscujusque hominis vitæ terminum a Deo eſſe conſtitutum, adeo ut nec ulterius extendi, neque in breviorem gyrum contrahi queat. Quicquid de hoc placito cenſendum ſit, ex verbis ſaltem Jobi non elicitur. Schultenſius elici quidem vult, ſed imbelli prorſus ratiocinatione militat, ajens decretum judicis certos ſemper fines adferre, nec pœnam per illud injunctam in dubio poſſe relinqui,

ſed

ſed exactiſſima ſemper ratione præfiniri; In quo argumento dupliciter fallitur vir doctiſſimus. 1°. Dum gratis aſſumit, hoc loco nos doceri, mortem peccati pœnam eſſe, vultque per חוק & חרץ ſententiam a judice latam innui, nexum ſibi fingens horum verborum cum præcedentibus, *quis purum dabit ex impuro*, qui revera nullus eſt: non enim ex verſu 4°. dependet noſter, ſed cum ſexto cohæret, ut vidimus. 2°. Agnoſcimus mortem peccati pœnam eſſe, a Deo judice decretam & ordinatam. Itaque quod moriantur homines, quod brevibus cancellis eorum vita concluſa ſit, in eo non iniquam peccatoribus legem ſancitam confitemur. Verum ut peccato mors pœna ſtatuatur, nihil neceſſe eſt, certam moriendi horam adamantina neceſſitate cuique præſtitutam eſſe, ſatis eſt ſi nemo ſit, qui vivendi aliquando, ſerius, ocyus, ſorte exituta, finem non faciat, & omnes generatim homines ultra certum ævi ſpatium vitam extendere prohibeantur. Primo certe parenti Adamo mortem, delicti pœnam
præſentiſſimam Deus interminatus fuerat, 2. Reg. XX.
cujus gratiam ipſi fecit divina miſericor- 1—6.
dia; non in quindecim annos, ut Eze- collat. cum
chiæ Regi tantum, ſed in novem & am- Geneſ.
plius ſæcula vitæ uſuram protogando. II. 17. III. 17.

Vs. 7. *Lignum habeat ſpem, ſi præciſum fuerit &c.*] Miſere ſe torquent Interpretes, ut nihil obſtantibus, quæ ad verſum uſque duodecimum ſequuntur, Jobo indubitatam de altera vita, & corporum ultima reſurrectione, fidem aſſerant. Cum iis facit Schultenſius, ingenue quidem faſſus, ſpecioſum inde, & ſatis urgens in contrariam partem duci argumentum. Cujus ſe tamen vim infringere poſſe ſperat, ſi adtendatur ad affectum Jobi concitatiorem, diſputandi impetum, & ſcopum diſputationis univerſæ, quibus minime quadraſſet reſtrictio, a ſpe melioris vitæ petita. At cogitare debuerat Vir perſpicaciſſimus, talem aut ſcopum, aut affectum, aut impetum cadere neutiquam potuiſſe in hominem, cujus animo ſpes melioris vitæ fixa ſederet, quæ potentiſſimum ipſi fuit in tali vitæ conditione ſolatium perfugiumque; cujus reſpectus mœrentem ſolari, jacentem erigere, querentem vices ſuas compeſcere debuit, dolorique effuſius laxantem habenas retrahere, ne ultra metas vagaretur. Itane vero Noſtro, dum præſentium malorum ſeriem perſequitur, & in ea cogitatione defixus hæret, nunquam in mentem veniſſe præmiorum, quæ juſtis dura paſſis in æternum repoſita ſunt? Imo potius complorationibus

bus Ethnicorum, quibus, ut ait Paulus, 1. Theſſ. IV. 13.
nulla ſpes eſt, nullius extra hanc mortalem vitam felicitatis idea, ſimiles querelas edidiſſe? ne minima quidem melioris ſpei mentione addita, qua, velut delinimento quodam, æſtuantis doloris acerbitatem mitigaret? Cuinam hoc veri quæſo ſimile fiet? Cæterum prædicta ſic intelligi nolim, quaſi Jobum eodem cum Ethnicis loco & cenſu habeam, nec ſupra ipſos quicquam ſapuiſſe exiſtimem, ad melioris vitæ fidem quod attinet. Abſit ut vero Jobo, cujus hiſtoriæ noſtrum Poëma, vel משל, tanquam fundamento ſuperſtructum eſt, hujusmodi ignorantiam tribuam! Vir certe ex animo religioſus, & eximia Numinis notitia imbutus, nec non divinarum promiſſionum ex patriarchali Traditione ſpem amplexus, alteram ab hac vitam, quod Religionis firmiſſimum columen eſt, procul omni dubio exſpectavit, cum ſanctis omnibus ſui ſæculi vivis. De Jobo tantum perſonato quæſtio eſt, qui a ſcriptore hîc loquens inducitur, quem pernego talem exſpectationem ſuis verbis prodere. Nihil id miraberis, ſi libri ſcopum & ſcriptoris conſilium adtendas, docendi nimirum, quantum divinæ gubernationis ratio mentium humanarum captum ſuperet, ideoque ex-

 ſpe-

ſpectandum donec ipſe rerum exitus nodos implexos ſolvat, Deique cuncta adminiſtrantis ſapientiam in clara luce ponat. Exemplo fuerunt inſignes Jobi caſus, quorum proinde ambitu decuit omnem hujus libri tractationem contineri.

Vs. 12. *Donec atteratur cœlum non évigilabit.*] Fallit Interpretes ſuum acumen, inde reſurrectionis ultimæ doctrinam exſculpere conantes. Phraſis eſt tralatitia æternitatem ſignans, ut Pſal. LXXXIX. 30, 37, 38. ubi de fœdere cum domo Davidis inito. Putidus atque abſurdus foret, qui ultima hæc intelligeret de poſteritate Davidis, in fine mundi demum de ſolio deturbanda.

Vs. 14. *Cunctis diebus quibus nunc milito, exſpecto donec veniat immutatio mea.*] Codurcus de militari ſtatione intellexit, *Je garderai mon poſte jusqu'à ce qu'on me vienne relever*. Confer Habac. II. 2, 3. Optime Schultens per חליפה reſtitutionem in integrum, fortunæque ſimul & vitæ revireſcentis (ex ſimili ſupra, verſus ſeptimi) inſtaurationem intelligit, ut ea verba ſint optantis, novum ſibi decurrendæ vitæ ſpatium a Deo tribui. Votum aliis quoque uſurpatum. *ô Mihi præteritos* &c. Iterum hic ſpectatur, taciteque innuitur, hiſtoriæ exitus. *Si alia vita in his terris agenda daretur,*

tur, *ſolarer præſentia mala ſpe ſortis aliquando melioris*, ſic reddit Grotius. Atqui ſors illa melior ei tandem obtigit, novumque revera vitæ curſum indulſit divina benignitas. Ad illa autem; *Quum mortuus fuerit vir, num reviviſcet?* iterum mirari ſubit, ſic locutum fuiſſe Noſtrum, ſi mortuos reſurrecturos credidit. Hoc tamen ſcrupulo parum movetur Schultenſius, tantumdem facere ajens, qui hæc objicit, ac ſi diceret: *cur ſe dolori ferendum dedit? cur non inconcuſſam inter tot fluctus ſpem ſervavit? cur Deo litem intendit?* &c. Candorem hîc Cl. Viri, aut acumen deſidero, in objectione vel repræſentanda, vel recte percipienda. Non enim quæritur, an fides ſemel circa reſurrectionem ſuſcepta, ex doloris æſtu interdum fluctuare non potuerit, aut malorum pondere depreſſa vacillare: (quanquam contrarium fere ex animo credentibus per graviſſimas ærumnas obtingere ſoleat, ſcilicet ut inde ſpes futurorum vivacior, fides animoſior evadat.) Verum urgetur, fieri non potuiſſe, ut quis tali perſuaſione antea imbutus, ingruentibus adverſis, ejus ne leviſſimam quidem ſignificationem edat; neque ipſi multa lamentanti & tumultuanti ullum verbulum excidat, quo de reſurrectione unquam cogitaſſe cenſeatur; quin & huic

ſpei valde adverſantia paſſim affirmet; V. gr. ipſo, quem nunc tractamus, loco. Hunc nodum non attigit Vir Clar. cui ſolvendo certe non erat. Nullo autem a nobis negotio ſolvitur, qui autumamus, nec levibus quidem rationibus inducti, non ipſiſſimos ſermones revera a Jobo & Amicis habitos prodi, ſed ſub nomine Jobi & Amicorum ejusmodi orationes referri, quæ ad Poëmatis τὸ ἠθικὸν, & Auctoris ſacri in hoc libro conſcribendo conſilium unice pertinent.

Vs. 17. *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea*] Argutiam hîc Schultenſii concoquere non poſſum, ex reconditiore, quem eruit, ſenſu verbi טפל vertentis, *allinis ad iniquitatem mihi*; ut Jobus velit calumnias adverſus ſe conquiri a Numine: quod dictu & cogitatu horrendum, abſit ut a Jobi ore profectum, aut ei a S. ſcriptore affictum putemus. Adeone ſui oblivifci doctum ſimul & pium Commentatorem! adeo emphaſibus ſuis indulgere, ut meras ſermoni ſanctiſſimi hominis blaſphemias intexat! idque gratuito, nulla ſenſus neceſſitate coactus. Nam תטפל ſolita conſuendi, connectendi, concinnandi ſignificatione ſumptum, ſententiam optimam fundit. Vult Schultenſius ſenſum auctiorem, qui plus ſtomachi ferat. Qualem etiam

etiam eſſe contendit Cap. X. vs. 6, *ut quæras iniquitatem meam & peccatum meum ſcruteris.* Ubi diligentem peccatorum veſtigationem ſolum videmus, minime vero calumnioſam inſimulationem. Sed proh fidem tuam Cl. Schultenſi! quid quæſo facis? *Allinis* ipſi Jobo cogitationem omnibus piis exſecrabilem, quam, niſi amens fuerit, & plane furioſus, aut pectore concipere, aut ore proferre non potuit. *Audacter profecto*, ais, *& calide nimis.* At tu, cum tua reprehenſione, quam mollis & frigidus! Quid enim? qui modo provocavit ad æquiſſimi Numinis tribunal, qui ejus judicio ſiſti poſtulat, unde ſuam innocentiam a ſociorum criminationibus vindicandam confidit, idem nunc quereretur *calumnias adverſus ſe conquiri a Numine, ad innocentem ſpecioſo titulo perdendum?* Ipſiſſima ſunt Schultenſii verba. ô Caput, ſi talia ſenſit Jobus & locutus eſt, totis Anticyris immedicabile! Recte monet Vir Clar. Interpreti non videndum, quid Noſter dicere debuerit, ſed quid dixerit. At ſapienti huic canoni alium, haud minoris momenti, ſuperaddere liceat: Nimirum, Interpreti quoque videndum, quando duplex vocis ſignificatus occurrit, ne eum cupide eligat e duobus, qui pro homine cordato & pio, qualis Jobus ſemper

 ha-

habitus, phreneticum nobis & rabioſum obtrudat.

IN CAPUT XV.

Vs. 18, 19. *Sapientes confitentur, & non abſcondunt a patribus ſuis: quibus ſolis data eſt terra, & non tranſivit alienus per eos.*] His verbis docemur, eam demum puram & ſinceram Traditionem habendam, quæ a majoribus ad poſteros, apud ejusmodi nationem continuo tenore tranſmittitur, cui easdem ſedes a prima origine incolenti, nulla ex alienigenarum colluvie labes, nulla inſtitutorum morumque antiquorum obrepſit oblivio. Talis diu fuit gens Arabum, a cæteris diſcreta, neque exterorum commerciis, aut bellis & invaſionibus contaminata, aliamque a priſtina faciem induere coacta. Tales quoque Judæi, a Moſis ævo ad captivitatem uſque Babylonicam. Quibus nempe ſatis conſtans rerum ſuarum ab antiquo πατροπαράδολος ſuppetebat memoria. Ex hac norma facile dijudicari poteſt, quam fluxum & incertum in occidente noſtro, poſt tot barbarorum exundationes, populorumque ſe mutuo expellentium fluctus reciprocos, oralis inſtitutio documentum primævi dogmatis præbeat; aut quæ fides ſit ha-

habenda Traditionibus, quas ab Apoſtolorum manu acceptas & intemerata fide ac religione, ad noſtrum uſque tempus, adſervatas, ſcilicet, Romana nobis venditat Eccleſia.

Vs. 31. *Non credet fruſtra errore deceptus.*] Anxia iterum ſeſe hîc jactat, parvo fructu, ſi quid judico, Cl. Schultenſii diligentia, retruſas captantis vocum Hebræarum ex Arabiſmo ſignificationes, dum in priori membro verſus, בשו *in ipſa culmine fortunæ* interpretatur, quoniam, inquit, Arabibus Sol *in æquatione ſua* ﺔ—واىـ—ﺔ—لشمـ في perinde valet ac *in meridie.* Sed vide quantum valeat, ut in cæteris rebus, ſic in Etymologico ſtudio, τὸ μηδὲν ἄγαν. Quod Sol, præſertim meridianus, in omnibus, credo, linguis emblema proſperæ fortunæ ſit; quod porro Sol in æquatione ſua apud Arabes meridiem notet, num inde legitima ratione conficietur שו, utpote a שוה *æquando* derivatum, verti poſſe *culmen fortunæ?* Quis vero neſcit, ex compoſitione vocum locutiones naſci, quibus is ſignificatus hæret, quem ſingula verba ſeorſim ſumpta minime recipiunt? Ea via ſexcentas vocibus notationes adfingeres, quas uſus reſpuit: Et quò non tandem procederet effuſa ejuſmodi interpretationum procudendarum licentia?

Pſal.

Pſal. XXI. 6. הוד והדר תשוה עליו ſimpliciter eſt, *decus & gloriam ipſi aptaſti*, vel *ſuper eum æquaſti*; metaphora a veſtibus petita, in quibus amiciendis cura exhibetur, ut apte ſedeant & æquabili ſymmetria circumfluant & componantur. Nihil hîc de culmine majeſtatis & ſplendoris nunquam iterum minuendi, in occaſumve inclinaturi; quo inutili ſpiſſamento videtur prægravari ſententia potius, quam erigi. Hujus verſus igitur primo colo, שו deficiente aleph, ſimpliciter eſt *vanitas*, cui ſtulte innititur proſperis rebus deceptus, & propter dulcis fortunæ ebrietatem extra viam palans & erro. Vide Pſ. CXIX. 67. Nollem iterum doctiſſ. Interpres ejusdem verſus parte ſecunda, שוא a ſequentibus ſejunxiſſet, ſic reddens; *nam vanitas eſt, aderit fluctuans ejus viciſſitudo*. Quid enim opus in fruſtula concidere ſermonem, membraque reluctantia diſtrahere, quæ ſic optime cohærent; *vanitas erit ejus permutatio.* תמורה enim ἄλλαγμα, *penſationem*, *permutationem* ſonat, quod hîc optimum ſenſum facit. Ne vanitati innitatur præſentium bonorum, quæ eum maleſana confidentia de recto tramite pepulit, & extra oleas abripuit. Nam brevi ipſe cum rebus ſuis in nihilum recidet, ipſe vanitati æquiparabitur.

Sic

Sic Pſal. LXII. 10. haud abſimili locutione de filiis hominum dicitur; *in bilancem aſcendant, illi præ vanitate unà ſunt.* מהבל יחד:

IN CAPUT XVI.

Vs. 21. *Quomodo judicatur filius hominis cum collega ſuo?*] Cæcutiunt hîc ad unum Interpretes omnes, quos inſpicere licuit, dum בן pro *filio* unanimes accipiunt. Ipſe inter acutiſſimos merito numerandus Cl. Schultens multum in variata conſtructione laborat; nec, quamvis multa moveat, omnesque ſcriptorum angulos perreptet, ſat feliciter ſe expedit. Mira, tot doctorum ἀβλεψία, quorum nemini in mentem venerit בן hoc loco eſſe particulam, & totum ſic debere verti: *diſceptatio erit, aut deciſio litis viro cum Deo, & inter hominem & ſocium ejus*, בן pro בין *inter*, excidente jod, ut alias fit. Conſtruitur cum lamed Gen. I. 6. ויהי מבריל בן מים למים. Si rem notam recordati fuiſſent Interpretes, a ſua μυστηριώδει de filio hominis, hoc in loco, commentatione temperaſſent.

IN CAPUT XVII.

Vs. 4. *Cor eorum longe feciſti a diſciplina.*]

A cæteris Interpretibus longe recedit Schultenſius, dum reddit; *Cor eorum involucro condidiſti, dempta maturitate*, volens שכל primitivo ſenſu eſſe *maturitatem*, & a Jobo alluſum ad involucra coriacea & craſſiora dactylorum, qui maturitatem aſſequi nequeunt, niſi vel natura, vel arte, tegmina illa diffindantur. Uſque adeone Virum eruditum ſuarum originum amantem eſſe, ut præ arceſſita illa & dura, ei ſordeat interpretatio obvia & naturalis! *Abſcondidiſti cor eorum ab intelligentia*, quis non ſentit eleganti metatheſi idem ſonare quod, *cordi eorum intelligentiam occultaſti?* aut שכל cum לב junctum, *intelligentiam*, ſignificare potius, quam *maturitatem.* Quis enim *cor maturum* dixit, aut dictum meminit unquam? Sed deformanda erat ſermonis decora facies, & nativus color infuſcandus, ut nimirum abſtruſo originationum ſyſtemati litaretur. Haud felicius, על כן לא תרומם vertit; *propterea nihilum prævalet illis*; ſuum *Nihil* ſubſtantivum opportune, importune ingerens. Quidni ſimpliciter cum Coccejo potius; *propterea non facies ſuperiores*, aut, *cum cæteris, non exaltabis*, optimo nexu? Deum ipſum ſponſione laceſſiverat, quod alias hæc lis nunquam decidi poſſet, amicis in hac controverſia plane cæcutientibus; quibus nempe

Digitized by Google

nempe intelligentiam Deus ademerat; adeoque ineptis, ad talem dirimendam controverſiam, nec tanti muneris faſtigio decorandis. Certe quos Jupiter dementat, eos ſimul deprimit, nec in tribunali, tanquam cauſarum judices, ſedere jubet.

Vs. 9. *Et tenebit juſtus viam ſuam.*] Locutionis genus memorandum confer Pſal. LXXIII. 2. ibi נטיו רגלי שפכו אשרי *effuſi ſunt greſſus mei, declinarunt pedes mei*, quod oppoſitionem continet צדיק דרכו יאחז תֹּּׂד confer Pſal. XCIV. 18.

Vs. 12. *Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras ſpero lucem.*] Sententia ſi non obvia, nullis tamen verborum involucris obtenebrata, mirum quam Interpretes torſerit; fruſtra anquirentes, quo ſpectet, quem hîc locum habeat, quave ratione Jobi affectui & præſenti conditioni aptari queat. Palmam cæteris omnibus, meo judicio, præripit Crinſos, ad ejus liberos referens, ferali nece extinctos, quibus reliqua ad finem capitis examuſſim quadrant. מורשי לבבי tenerrimas neceſſitudines deſignat, quales parenti ſunt liberi ſui. Gallice diceremus, *la poſſeſſion la plus chére, le bien le plus doux à mon cœur.* Verſu 11_{mo} ומותי נתקו huc neceſſario ſpectat. *Mes projets ſont renverſés, mes*

mes deſſeins, ſont rompus. Quid enim cogitet libentius pater? quid eſt, quod ſpectet magis, quam liberorum incolumitatem? aut quæ cum cura ſollicitet potentius? Supplendum אשר, quod innumeris SS. locis omittitur. *Qui noctem in diem mutabant*, doctiſſimo Crinſos interprete; *qui adouciſſoient mes peines, & faiſoient d'abord ſucceder la joye à tous mes ennuis.* Metaphora pervulgata *lucis*, pro gaudio. Deinde אם אקוה, quam apposite ad affectum hominis, non inſtantem ſibi mortem exſpectantis, ſed ipſam optantis quamprimum adventare, quæ nempe eum cum deſideratisſimis pignoribus eodem tumulo condat, iisque crudeli fato abreptis æternum conſociet. Cui vero credibile fiat, Jobum ſuas miſerias plangentem, de natorum acerbo funere ſiluiſſe? Ratio hæc ex ipſa natura, & paternis viſceribus ducta, ſi modo verba talem ſenſum ferre poſſint, uti optime ferunt, centum Haririis, Tauriſiis, Camuſis, Gieuhariisque apud peritum Criticum præponderabit, ſeque ingenio cordati lectoris magis approbabit, quam ὑπερβαίνουσαι emphaſes Interpretis, ſuper Cothurni Sophoclei altitudinem nunquam non ſcandere geſtientis. Lege modo paraphraſim Cl. Schultenſii, qua notam ſuam ad hunc

ver-

verſum claudit, eamque compone cum ipſo, quem enarrandum ſuſcepit textu, vere dices, non tibi *noctem die commutatam*, ſed *diem nocte* & caligine horrida. יום ללילה ישימו׃

IN CAPUT XVIII.

Vs. 4. *Numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco ſuo?*] Vehemens increpatio, q. d. æquumne cenſes, ſupremum Mundi moderatorem, ut tibi morem gerat, tuisque cupiditatibus obſequatur, a ratis Providentiæ ſuæ legibus & conſueto curſu deflectere? Suntne omnia in tui unius gratiam ſus deque vertenda? Sic feliciter exponit doct. Warburton, *Div. legat. of Moſes* ubi ſup. p 549. niſi quod vult per rupem, extraordinariam Dei providentiam intelligi. Quod non video, quem idoneum ſenſum pro re ſubjecta fundere poſſit. Quid enim ſibi vellet, Jobum cupere Providentiam extraordinariam removeri? Præterea Deus in Scriptura *rupis* nomine venit, ut robur, firmitas & inconcuſſa conſiliorum ejus & decretorum conſtantia ſignetur: Neutiquam autem diſcrimen extraordinarii, ab ordinario, regiminis. Rupium avulſio, & terræ ſolitudo ab incolis deſer-

ſertæ, partes ſunt unius ejusdemque tropi, quo rerum omnium conturbatio depingitur, qualis præſertim in terræ motibus contingit, cum dehiſcente terra, montes ipſos contremiſcere videas, velut a radicibus convulſos, rupes diffindi, ædificiorum moles corruere, urbes populoſiſſimas everti, non ſine fœda incolarum ſtrage, lateque per circumjacentes regiones ſolitudine inducta. Ut nuper de Vlisſipone, totaque Luſitania, non ſine horrore accepimus. Sic Baldadus Jobum, ex acriori doloris ſenſu, de divina gubernatione iniquius cenſentem merito redarguet. Senſu paullum diverſo, connatus hominibus φιλαυτίας affectus tangeretur. Quaſi dicat Baldad: quid ira tumes, & extra te raperis? quid cæco furore præceps ageris? exiſtimasne te peſſum dato cœlum terræ miſcendum eſſe, te intereunte, rerum naturam interituram? quemadmodum ille ajebat apud Poëtam: ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Rem graphice expresſit Vavaſſor in paraphraſi.

Vid. Sueton. Cap. XXXVIII. Neron.

An vero mentem qui vexas, irritus acres
Qui ruis in furias; te ſi Deus opprimit ultor,
Continuo rupesque ſitu, tectisque coloni
Migrabunt alio, & terrarum concidet orbis?

Priorem tamen exegeſim prætulerim, quæ ſaluberrimum monitum complectitur. Nimirum

mirum quo diſcant homines ſua ſorte contenti ab impotentibus querelis abſtinere, rerumque humanarum ordini, quem certis legibus adſtrictum divina ſanxit ſapientia, æquo animo acquieſcere. Nihil vero ſanæ rationi conjunctius, nihil ad animi quietem ac proinde ad felicitatem noſtram conducibile magis. At quam paucis contigit conſultum illud placidæ mentis moderamen! Videas innumeros cupiditatum æſtu, nec non propriæ ſortis impatientia vexatos, ſummo univerſitatis rectori ſuccenſere, eique litem intendere velle, quod tam proſpera, quam ſe decere putant, fortuna non utantur; quod his illisve premantur incommodis, ac per deſtinatum præſentium rerum curſum aditus ipſis ad opes, honores, famam, denique ad id vivendi genus, in quo beatitatis apicem miſeri collocarunt, in univerſum præcludatur. Exempli gratia, vir mercurialis, dum quotidiano quæſtu ægre ſuſtentat familiam, dolet ſibi, quæ aliis occurrunt, lucri ingentis opportunitates ademptas. Ex nativa corpuſculi debilitate morbis obnoxius, inique ſecum agi putat, quod proſpera & firma non utatur valetudine. Alius in tenui re conſtitutus, dum opibus pollet ingenii, accuſat ſæculi iniquitatem, ac Principum mores exa-

 gitat,

gitat, qui præmia ſuæ induſtriæ debita non tribuant, ac de honore litterarum promovendo parum ſolliciti, non arceſſant ultro Vatem eximium, & egere vetent, & ſcribere cogant. Indignatur fruſtra ſibi dotes a natura conceſſas, quarum ope tamen ex umbratili vita in lucem hominum, ac dignitatis ſplendorem aliquem emergere nequeat. Quod ſi forte invidentium livore deturbatus, aut æmulorum artibus ſubrutus, oblivioni mandatur, tum exiſtimat pesſime adminiſtrari res humanas, omnia ſus deque ferri, & cœco temere volvi tumultu; ſi alius inſtitueretur ordo, melius longe proceſſura omnia. Quod multa probi experiantur adverſa, nec meritis ſuis quæſitum favorem reſpondere videant, aut cœptis & conatibus optatum finem obtingere, clamant illico ſibi injuriam fieri. Verum quam in eo fallantur apparebit, ſi cogites certis legibus, ſicut orbem univerſum, ſic hominum ſocietatem contineri; quas, idoneis de cauſis poſitas, ob nonnulla quæ inde naſcuntur incommoda ſtatim revelli non oportuit. Hæ ſunt leges, quæ variam mortalibus ſortem varie adſignant, ac bona malaque inæquali menſura admetiuntur. His divitias, illis penuriam & egeſtatam; aliis majorum imagines & ſtemmata, aliis plebejam

Horat. Lib. II. Epiſt. I.

bejam fortem ; huic vires & robuſtam valetudinem ; illi imbecille & morbidum temperamentum, ipſa naſcendi ſorte, tribuunt ; quosdam præclaris animi dotibus præditos, plures exigua ingenii facultate inſtructos in lucem edunt. Nativæ huic rerum humanarum conſtitutioni innectitur, & veluti inſeritur alia, quæ ex perverſis hominum moribus, & inolita vitiorum corruptela ortum repetit. Hæc prava διαθέσεις adſcititium quid cum ſit, ac minime a Deo inditum, leges nihilominus ſuas habet, quibus humanorum negotiorum proceſſus regitur ; nolente Deo, ex arcano quodam conſilio, talem curſum ſiſtere per vim hominum mentibus illatam. Inde fere fit, ut ii ſæpe plus polleant, & rem gerant magis ex ſententia, qui malis artibus graſſantur, dum fraudem, vim, mendacia in ſubſidium adhibent, dum adulatione, technis, turpibus obſequiis in potentiorum gratiam adrepunt, quam ii, qui veri & recti tenaces, ac vitiorum ſpurcitiem peroſi, virtutem, conſtanti ſtudio, ſectantur. Hiſce conſpectis, præ indignatione, ad Jobi inſtar, proprium animum laceras, & ſtatim terram hanc, quæ tot malis intolerandis ſcatet, deſerendam cenſes, ultra Sauromatas avolaturus. Sed vide, quanto in er-

rore verſaris. Nimirum quereris, ubique florere impios, ſycophantas ex bonorum contumelia ſibi laudem quærere, apud Principum aulas nugivendulos & moriones in pretio eſſe, doctos & cordatos contra deſpici; in qualibet reipublicæ ſtatione collocari, non qui eam melius ornare & tueri poſſunt, ſed qui plus ambitione & gratia valent. Eadem opera querere igitur, quod ululent lupi, quod leones ex raptu vivant, quod meſſes a torrentibus ſternantur, quod flumina in mare fluctus ſuos provolvant. Is eſt nempe conſuetus rerum humanarum ſtatus, quem in tui gratiam immutari velle, idem foret, ac ſi montes rupesve ex imis ſedibus dimoveri poſtules, aut univerſam tellurem ſuis incolis ſpoliari. Profecto, ſi rem recte putemus, apparebit fortunas hominum, (excipio tamen quicquid ignavia noſtra, aut culpa, aut præcipiti conſilio damni in noſmet ipſos ultro arceſſimus, quo ſenſu vere dicitur, unumquemque ſuæ fortunæ eſſe artificem) apparebit, inquam, quæ cuique noſtrum vivendi conditio tribuitur, a tali cauſarum nexu & eventuum ſerie pendere, quæ nec inflecti potuit, nec diſrumpi, niſi data opera Deus legibus a ſe latis præjudicium facere vellet, aut miraculo edito mentes

ho-

hominum ſubito in melius mutare. Sed cum graves ſatis habeat cauſas, cur humana negotia certo tenore adminiſtrari velit; bonorum itidem & malorum inter Mortales ſortitionem fieri: præterea cum ſapientibus itidem de cauſis, vitiorum curſum, quem certis tamen limitibus conſtringit, prorſus inhiberi nolit; iniquus certe ſit, & impotenti affectu excæcatus, qui ob ea incommoda, quibus mortalitas noſtra obnoxia eſt, divinæ providentiæ ſuccenſeat, atque, ut iis liberetur, miracula edi flagitet. Præſertim cum benigniſſimus Deus nobis plurima ſubſidia præbuerit, quibus ea mala levari & mitigari aliquatenus, aut aliorum bonorum additamento penſari queant.

Minime tamen hucusque obſervata ſic accipi velim, quaſi ſummus rerum omnium arbiter ſuiſmet ipſius legibus, velut adamantinis vinculis alligaretur, nec unquam contingere poſſit, ut a conſueto ordine recedat. Cum enim haud ſemel id fecerit inde a primo rerum initio, quin id faciat etiamnum, momentoſiſſima aliqua cauſſa compellente, nullus dubito. Namque ea eſt precum efficacia, a piæ mentis fervidiſſimo adfectu cum plena fiducia profectarum, ut quod diſcipulis Chriſtus pollicitus fuerat, id impetrent,

Jac. V. 16. modo res in divinam gloriam cedat, & ad
Marc. Chriſti regnum amplificandum apprime
XI. 22, conducat; montes ſcilicet a ſuis ſedibus
23. dimoveri, id eſt, ratum rerum ordinem interverti, quo quis, ubi id facto opus eſt, ex prementibus undique ærumnis, in feliciorem ſtatum ſubitò eluctetur. Id vero ipſum Jobum expertum, contra ſuam, cæterorumque omnium exſpectationem, in felice fortunarum ſuarum integratione, ipſius liber abunde teſtis eſt. Id in Iſraëlis ſui gratiam Deum plus ſemel effeciſſe, ſacra nos Hiſtoria docet. Talia quoque Eccleſiæ Chriſtianæ precibus identidem indulſiſſe, qui ejus annales ſedulo evolverit, non abſque grato in Deum optimum maximum animo comperiet. Res ibi ſæpius videbit, arcano ductu impellente & regente, præter cunctorum opinionem, imo adverſantibus in ſpeciem omnibus, atque humanarum cauſſarum vi & curſu contra nitente, in melius commutari. Veritatis Evangelicæ aſſertores ex orci veluti faucibus eripi, atque oppreſſam, tum fœda ſuperſtitione, tum ſæva tyrannide Religionem, velut e tumulo reviviſcentem, ſubito caput erigere, & *volentes per populos* ſanctiſſima *dare jura.*
Virg. Georg. Lib. IV. Atque hoc ipſiſſimum eſt, quod Regius vates cecinit Pſalmo CIV. *At mittis ſpiritum*

tum tuum? creantur, & innovas faciem terræ. Quam vim prodigioſam atque orbis renovatricem, ut benigniſſimus Deus, laboranti Eccleſiæ ſubveniens, hiſce noſtris temporibus exſerere dignetur, ubi Charitas friget, languet fides, pietas fere extincta jacet; ubi Religioni nullus honos, Veri exiguum ſtudium; ubi homines addicti lucro, terrenæ hujus vitæ commoda & gaudia unice ſpectantes, virtutem verba putant, ut lucum ligna, de nulla re minus ſolliciti, quam de officio hominis Chriſtiani præſtando: ubi ab una parte dira ſuperſtitio quidvis tentat, ut populos dudum excæcatos ſuis in vinculis retineat; ab alia vero impietas effera, jura cuncta reſcindere, & Religionis jugum ab mortalium collo depellere molitur; ubi Chriſtiani principes, pretioſa inter ſeſe exercentes odia, & furialibus auſis in mutuam ruentes perniciem, aut fœdis voluptatibus immerſi, quaſi lethargo quodam aut veterno corriperentur, de amplificando Chriſti regno ne per ſomnium quidem cogitant: ut, inquam, hoc feraci malorum ſæculo, Dominus Jeſus, ſuorum miſertus, eam potentiam exſerere velit, qua montes transferre pro arbitrio, terræ faciem renovare, & cuncta ſibi ſubjicere valet, piorum omnium conſentiens votum eſt. *Utinam diſſinderes cœ-*

 los,

Eſai. LXIV. 1. *los*, *&* *deſcenderes*, *monteſque coram te diffluerent*! *Veni domine Jeſu*!

Apoc. XXII, 20. Vs. 12. *Attenuetur fame robur ejus.*] Hebr. יהי רעב אנו id eſt, opes ejus exedentur, & quaſi fame contabeſcent. Sic Crinſos. Minus bene Schultens, arrepto ex Aben Ezra און pro *dolore*, reddit, *cavo ventre famelicus erit dolor ejus.* Cui, ut ſuum adjuvet interpretamentum, multa Poëtarum venit manus, quæ auxilio ſit. Tragicorum præſertim loca de peſte, vel morbo, vel vi veneni artus depaſcente præſto adſunt, non animadverſa, aut ſtudio præterita diverſitate locutionis. Nunquam enim Interpreti inſolentior tropus, aut paulo audacior & durior eſt admittendus, quem non plane gemino exemplo tueri poſſit. Alias in immenſum excreſceret licentia, ipſeque communis hominum ſenſus in locutionibus novis comminiſcendis perverteretur; ad quem tamen, ut ad certiſſimam normam, omnis, quacunque tandem lingua proferatur, hominum ſermo exigendus eſt. Morbum quidem artus ægri depaſci, ulcus carnes exedere, vires conſumere recte dicitur. Idem dolori ſi tribuas, jam durior figura apparere incipiet. At ſi hac anſa arrepta, jus ſumas procedendi ulterius, & ipſi dolori *cavum ventrem* tribuas, aut *famelicum*, & *latrantem ſto-*

ſtomachum, qui ſanguine, carne, membris, miſerorum hominum expleri geſtiat; tum loquendi rationem omnem conturbas, & monſtra pro figuratis locutionibus obtrudis. Sed qui Arabum ſemel dapibus aſſueverit, nihil eſt tam crudum, quod non facile deglutiat & concoquat. Imò quo abſonus & enormis magis eſt loquendi modus, eo dulcius ejus palato ſapit, & avidius expetitur, modo emphaſeôs cujusdam altiſonæ & grandiloquæ commendationem habeat.

IN CAPUT XIX.

Vs. 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me.*] כי אלוה עותני *quod Deus me pervertit.* Schmidius exponit per, *occaſionem dedit errandi in Sermonibus*; per ſæviſſimas nempe, quibus me afflixit, plagas. Ex conceſſione nimirum facta verſu 4°. ואף אמנם שגיתי *ponite, me erraſſe* aut *peccaſſe.* Mercerus bifariam exponit, vel, *pervertit rerum mearum ſtatum*, vel, *pervertit jus meum*, cum utrumque, eo teſte, verbo originali includi poſſit. Quid Cl. Schultenſius ad hæc? impigre poſtremum ſignificatum arripit, & tuetur quidem tam confidenter, ut eo repudiato, totius libri interpretationem conturbari cla-

clamitet, actumque eſſe de ſua, imò de omni in Jobum commentatione, palam profiteatur. Hanc vero totius loci dat paraphraſim. *Agnoſcite potius, ô acerrimi cenſores & judices! agnoſcite, idque ut ego pro certo ſcio & teneo, mecum tenete & ſcitote, quod Deus perverterit me, meumque mihi jus in hac præſenti cauſa curvaverit, qui me ut improbum proſtituit, atque in exemplum traducit, quum probitatis meæ teſtem eum atque vindicem citare & poſſim & auſim.* Verum, ô vos Pii omnes, quotquot ſeu ſacri Scriptoris, ſeu Jobi ipſius reverentia tangimini, prô veſtram fidem! quis ad impotentem hujusmodi expoſtulationem toto animo non cohorreſcat? non indignabundus cum Apoſtolo clamet; τί ὖν ἐρῦμεν;
Rom. IX. 14. μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ; μὴ γένοιτο. aut cum ipſo Elihu, infra XXXIX. 10; *abſit a Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas!* Optime ad locum Cromejerus: *Malim omnes alias expoſitiones, quam illam*; Deus inique mecum egit, vel perverſe agere me fecit. *Hanc enim omnes piæ aures abhorrent: nec dubium, quin abhorruerit Jobus toto corde.* Profecto qui aliud ſenſerit, is in Jobi ſodalium, ipſum calumniis, & immeritis opprobriis onerantium, caſtra conceſſiſſe cenſendus. At ferream expoſitionem, quis crederet? tam bene concoquit

quit Cl. Schultens, ut cæteras tanquam frigidas faſtidiat & reſpuat, ab hominibus videlicet profectas, qui *in æſtuantiſſimos noſtri dolores ſe tota mente & cogitatione non immittunt.* Contra, immodicis laudibus extollit; & tántum non in ſinu geſtat Reimarum, quod *jus Viri everſum a Deo* fortiſſime urgeat, Jobi ori indens, Deum, pro imperſcrutabili ſua voluntate & poteſtate*, per quam probi ſimul improbique unum ei ſunt, ſe ſuumque ſtatum pervertiſſe; dicatque eum ſenſum de Deo foviſſe, *quod Deus ipſum tanquam abſolutus Dominus pervertiſſet, cujus abſolutæ poteſtati Amici, æque ac ipſe, eſſent obnoxii.* Equidem æſtu doloris in querimoniis ſuis Jobum immodicum potuiſſe fieri, id libenter utrique adſentior; at ideo nihil neceſſe eſt, puras putas blaſphemias in Deum evomuiſſe. Neque Interpreti fas puto, talia Jobo adſcribere, dum nulla verborum neceſſitas cogit, & ipſo fatente, עותני de perverſione rerum & fortunarum æque bene intelligi poſſit.* In iis enim, quæ pro ſua ſententia adducit locis, Jobi VIII. 3. XXXIV. 12, additur משפט *judicium.* Amoſi VIII. 5. habetur לעות מוזני מרמה *in pervertendis lancibus doloſis.* Thren. III. 36. legitur עות אדם בריב *quando lis alicujus pervortitur.* Quibus cunctis ad recti &

& juris perverſionem ſenſus determinatur. Nil omnino igitur vetat: imo poſtulat res ipſa, ut אלוה עותני vertamus cum Coccejo, *Deus incurvavit me*, aut cum aliis, *evertit me*; niſi in ſanctum & prudentem Virum plane injurii eſſe velimus. Mente profecto non conſtet, neque impium tantum, ſed ceritum & lymphatum eſſe oporteat, qui illum ipſum Deum, quem probitatis ſuæ teſtem & vindicem citare auſit, pro certo ſimul teneat, jus ſuum pervertiſſe, ſe ut improbum proſtituiſſe, & pro abſoluto dominio, *per quod probi ſimul improbique unum ei ſunt*, eum reti, quod effugi nequit, circumdediſſe, atque in excidium traxiſſe. Procul, ô procul faceſſant ejusmodi dicta a religioſorum aure atque ore, non magis ἀθέμιτα quam ἄτοπα & γελοῖα! Quæ ſi forte noſtro heroi excidiſſent, ei confeſtim regeri debuiſſet illud Homericum: Σίγα, μήτις ἄλλος Ἀχαιῶν τοῦτον ἀκούσῃ Μῦθον ὃν οὔκεν ἀνήρ γε διὰ στόμα πάμπαν ἄγοιτο, ὅς τις ἐπίσταιτο ᾗσι φρεσὶν ἄρτια βάζειν. Iliad. Ξ. 90. Quod Schultenſius hoc ſæpe factitaſſe Noſtrum ajat, aut ſimilia uſurpaſſe, longe in eo fallitur. Nec integerrimo Viro fraudi eſſe debet, quod docti quidam ejus ſermonum Enarratores eidem lapidi ſæpius impegerint, & orationem ſanam at-

que

que rectam in hanc pravitatem interpretando *detorſerint*. Idem haud ſemel fecerunt calumniatores Triumviri; neque ab hac culpa in totum immunem ſe præſtitit Elihu, loco ſupra laudato; qui quod verba amici pro more carpant, & in ſiniſteriorem ſententiam pertrahant, male inde argueretur, eam revera Jobo ſententiam ſediſſe. V. infra XXXIV. 5, 9. XXXV. 2. Aliud tamen eſt, הסיר משפטי, quod Elihu Jobo, citatorum locorum priore, improperat, quam ſi dixiſſet עות משפטי. *Seponere*, ſcilicet, *facere ut recedat*, aut *prolatare judicium*, a *diſtorquendo* & *pervertendo jure*, multum diſcrepat.

Vs. 17. *Halitum meum exhorruit uxor mea.*] Schmidii gloſſam non admitto, vertentis; *ſpiritus meus alienus eſt, propter uxorem meam*. Supplet nimirum, ממני, quaſi voluiſſet Noſter; *me meamque vitam faſtidire cogor, propter uxorem meam*. Id valde coactum. Nec, quid jure potuiſſet dicere, tam ſpectandum, (hoc enim, fateor lubens, circa ejusmodi fœminam modum non exceſſiſſet) quam quod dixit revera. Hac, aliisque itidem interpretationibus exploſis, Cl. Schultenſius, cui jam dudum uxor Jobi in clientelam recepta, ut vidimus, magnoque in pretio habita, ejusmodi explicationem eligit, qua Jobi diriſſima ſors ſic

ſic gravatur, ut tori ſociam magnopere non urgeat. Is igitur, cui cæteroquin molles ſenſus & elumbes non nimis placent, nervoſos ac validos, potius, aut ut loqui amat, *ſtringentisſimos* & *cothurnatisſimos* ubique ſectanti, phraſim hanc; *computruit ſpiritus meus uxori meæ*, mirum in modum temperat atque emollit, ſic reddens: *Amantisſima, tenerrime dilecta, meque vicisſim & olim & nunc diligens conjunx, non audet me propius accedere, ad alloquio me ſuo recreandum.* Probe, ſane, compoſita, id enim ingenue fatendum eſt, ac exquiſitiſſimis pigmentis fucata, omnique melle & ſaccharo dulcior Oratio! in qua tamen nonnihil adhuc ad pleniorem mulieris commendationem haud temere requiras. *Non audet propius accedere!* Cur vero non audeat amantiſſima, olim & nunc maritum diligens uxor? cur tam faſtidioſa & delicata, quando maxime omnium ejus ope & alloquio Vir eget? Hic primus Schultenſii conatus. Secundus ſic habet. *Computruit uxori Spiritus meus. Id eſt, me haud ſecus, ac vivum cadaver, jam pati vix poteſt, mecumque malis victa exoptat ut quantocyus moriar, miſerumque Spiritum exhalem.* Honeſto, nempe, & probabili nomine deſerti officii excuſatur uxor potius, quam accuſatur. *Cul-*

pa

pa hujus faſtidii in caſum acerbiſſimum non obſcure rejecta; quo ea, cui ſpiritu mariti nihil ſuavius antehac, utpote ſuum cum eo ſpiritum miſcere ſueta, nunc eundem faſtidire & abhorrere cogatur. ô Miras blanditias viri meticuloſi, & muliebre jugum ferre docilis! Jobum vero loquentem tibi audire videris, an Micionem aliquem, aut uxorium potius Chremetem? Scilicet is veritus, ne indomitum ſuæ Xanthippes ſpiritum liberior vox exaſperet, & nota nimis jurgia reformidans, ejus importunitatem catus diſſimulat, quæſitis undecunque coloribus, feroculamque palpando & patrocinando demulcere aggreditur. Sed irrita prorſus perit Schultenſio opera, quam heroïnæ ſuæ extollendæ impendit, hisque officiis male tectus tralucet improbus mulieris animus, infelicis mariti contemptum atque faſtidium præ ſe ferens. Quin ſatis hic clare innuitur votorum in ejus vitam, quæ dudum ipſi oneri erat, conceptorum impietas, ſuperiori adlocutioni nimium conſona, *Benedic Deo ac morere!* Rurſus audi nunc preces amantiſſimæ conjugis: *Exoptat ut quantocyus moriar.* Id tendit omnibus nervis Clar. Schultenſius, nihil Mulieri nunc tribui, quo impietatis rea peragi queat, *quamvis*, inquit, *& ipſam in officio ceſſaſſe certum ſit.*

V. Terentium in *Phormione.*

N Sed

Sed revincunt eum ſignantiſſima verba, רוחי זרה לאשתי, quod leniſſime redditum ſonat; *alienus eſt halitus meus uxori meæ.* Revincunt & ſequentia cum præcedentibus manifeſtisſime connexa; *licet ſupplicem ipſi per filios ventris mei*, qua nulla tenerior comprecatio aut ferocientem mulieris animum inflectere, aut rigentem emollire aptior, fruſtra tamen adhibita, Tigride immitiorem, & Marpeſia caute duriorem fœminam arguit.

Vs. 25. *Scio enim quod redemptor meus vivit &c.*] Non fefelliſſe ſuam hanc ſpem virum integerrimum, & inconcuſſæ in Deum fiduciæ exemplar venturis ſæculis propoſitum, ſatis teſtantur, quæ legimus infra Cap. XLII. 5. Sic ut exſpectationi eventus vere jam, licet non in eminentiore verborum ſenſu, reſponderit. Namque ibi dicit Jobus ועתה עיני ראתך *nunc oculus meus vidit te*; quod tacitam adluſionem includit ad Oraculi noſtri verba ועיני ראו *oculi mei videbunt Deum.* Animoſus ſermo, & fiduciæ plenus, qui ſi de ſalute temporali tantum accipiatur, prout a Jobo videtur intellectus, qui altiorem illi a ſpiritu quo fuit adflatus inditum ſenſum, pro ratione temporum, non capiebat; nihilominus, utpote vaticinium edens de re tunc, quando loquebatur, omnibus

omnibus incredibili, dignus fuit, judice Jobo, qui marmori inſculptus, æternæ memoriæ conſecraretur. Præclarum autem illud oraculum de certiſſima ultimæ reſurrectionis ſpe accipi debere, prægnantiſſimis rationibus evictum dedit Rev. Thomas Scherlock, hodie Londinenſis Epiſcopus, contra Grotium & alios. V. *Uſe and intend of Prophecy*, Diſſert. II. p. m. 257. Quas rationes ambabus ulnis amplectimur, ea tamen lege, ut ſenſum liberationis præſentium malorum, & inſtauratæ fortunæ non excludant. Inſpice ſupra peculiarem noſtram de hoc Oraculo Diatribam.

IN CAPUT XXI.

Vs. 3. *Et poſt mea, ſi videbitur, verba ridete.*] תַלְעִג *ridebis*, eſt in Hebræo. Forte excidit Vau exſcriptorum incuria, cum eſſet תַלְעִגוּ. Nolit hoc Schultenſius, pro ſua erga litteras & apices codicum hodiernorum religione, qui tamen inde ſcrupulum exiſtere fatetur, negans Hebræis paſſim numeros miſceri, nullamque hîc Enallages cauſam agnoſcens. *Subſannabis* igitur vertit, ſupplendo, *qui voles*. Aut potius conjicit תַלְעִג hoc loco ſubſtantivum eſſe, redditque, *poſt actionem meam*

ſubſannatio. Nihilne autem in tali verſione ſcabrum aut durum perſentiſcit V. Cl? qui in aliorum Interpretum vitiis tam acutum cernit, eorumque paſſim conatus, tanquam aſperum quid, aut rigidum, parum molle, haud ſatis rotundatum, aut lævigatum, aut fluens, præ ſe ferentes faſtidioſe reſpuit. Quid quod plus juris in linguam Hebræam ſibi ſumit, quam reliquis Interpretibus tribui patitur. Eorum enim modo temeritatem increpaverat, quod ſuas ei ideas formasque ſubjicerent. *Quid non invenit acumen doctum, ſuis ſeſe conjecturis permittens, ſine ulla linguæ veteris anctoritate*? Commentarii p. 532. Idem nunc monitorum oblitus, propriis ſic conjecturis indulget, ut ſubſtantivum חלע nuſpiam exſtans, præſentanea nota procudat, nulla, quod quidem ſciam, linguæ veteris auctoritate fretus; idque malit facere, quam dare manus proclivi conjecturæ; credo veritus, ne ſi litteram Vau facili lapſu e textu excidiſſe dicamus, cujusmodi mendarum ſexcenta in textu V. Teſtamenti exempla adferri poſſent, adeoque Librariis ἀναμαρτησίαν abjudicamus, S. ſcripturæ periclitetur auctoritas?

Vs. 4. *Numquid contra hominem diſputatio mea eſt?*] האנוכי לאדם שיחי Mira locutionis Hebreæ ambiguitas. Clericus vertit *annon mihi*

mihi res eſt cum hominibus? Senſu contrario, qui melius nectitur cum ſequentibus; *quare non impatiens fieret ſpiritus meus?* Si τῷ he, adfirmandi vim ſubjicias cum Schultenſio, ea ſententiâ; *profecto ego ad hominem*, id eſt; *more humano*, *querela mea*; eodem redibit.

Vs. 6. *Concutit carnem meam tremor.*] ואחז בשרי פלצות Contra Schultens, pro ſolito, ut grandius, nobis dat, *corripit caro mea tremorem.* „ Nec ſine graviſſima, inquit, ratione. Longe figuratius certe; „ *caro mea apprehendit*, & quantaquanta „ eſt corripit *tremorem*, in eumque ſemet „ defigit quaſi; quam, *tremor corripit car-* „ *nem meam.* Poſterius nempe ſubitum & „ cito evaneſcens quid: Prius commotio- „ nem profundius inſidentem deſignat “. Quid huic facias? Sic ingenium eſt hominis. Adblanditur ei in oratione, atque apprime ſapit, ſi quid maxime novum, inſolens, violentum reperiatur, quod figuras uſu receptas, aliis inauditis ab imo ad ſummum pervertat, diſturbet, ac permiſceat. Si caro dicatur (*a*) *tremore corripi*, hoc ipſi vulgare ſonat & dilutum nimis.

(*a*) Eadem vis eſt locutionis *συνείχετο τῷ πνεύματι* Actor. XVIII. 5. ad quem verſum adi notam Hammondi. *Accipere febrim*, dixit Lucretius, magni, ſi fuit quisquam, ſpiritus Poëta, *Num quis enim noſtrum miratur ſi*

 quis

nimis. Fortius longe & ſignificantius fueris locutus, ſi dixeris; *caro mea corripit tremorem & in eo tremore ſe defigit.* Elegantius ergo itidem & ſignantius, ipſo judice, æger febrim, quartanam præſertim, corripuiſſe dicetur, quam ab illa correptus fuiſſe. Nempe ea locutio notabit ægrum in eam febrim ſemet, quantuſquantus eſt, defixiſſe, & commotionem quercerae profundius inſidentem deſignabit. Quod plane contra exiſtimarem. Quisquis enim ab aliquo corripitur, ab eo velut occupati & teneri cenſetur, atque ſub poteſtate corripientis magis videtur eſſe, quam ſi ipſe illum apprehendat, quem tunc nempe cito, ſi velit, e manibus dimittet. Sed nugarum ſatis. Tantum addimus, dolendum eſſe, quod tam peritus cætera Interpres, quique inſignem Scriptori noſtro, pluribus in locis, operam præſtitit, eorum quandoque ſimilem ſe oſtendat, quibus nimio ſalſamentorum aut acrium potionum uſu palatum obſurduit. Adeo in horrida illa & magniloqua Arabum eloquentia tritus eſt & exercitatus, ſic ea penitiſſime animum imbutus, ſic *correptus* ab

quis in artus Accepit calido Febrim fervore coortam, Aut alium quemvis Morbi per membra dolorem? de N. R. VI. 655. at *corripuit febrim* ſat ſcio nunquam dixiſſet.

ab illa denique, ut a puro, recto & ſano orationis genere penitus abhorreat.

Vs. 13. *In puncto ad inferna deſcendunt.*] Cave ſis hîc inferorum ſedes, aut pœnas innui exiſtimes; qua falſa opinione imbuti Commentatores plerique, a recto Jobeæ diſputationis tramite delirarunt. Sola enim futuri poſt mortem ſupplicii mentione facta, Noſtri cauſa jugularetur, omniſque argumentorum vis, quibus oppoſitam amicorum theſim tam animoſe arietat atque it everſum, repente collabaſceret. Id optime vidit & monuit Schultens, qui quoties ſuo potius, quam alieno judicio ducitur, recta & vera ſequi ſolet. *Semet*, inquit, *uno halitu refutaſſet Jobus, ſi colon hocce de æterno ſupplicio ſtatim poſt mortem irrogando loqueretur.* Pergit V. C. *An ergo nec credidit, nec ſcivit quid poſt mortem maneret impios?* Minime vero id concedat Schultens, cujus longiſſime diſcrepat ab hiſce & vox, & ratio. Sed pro tempore ſatis habet, obſervare cum Mercero, hîc nihil de vita futura dici. *Atqui non potuiſſet non dicere, inquies, ſi revera hæc non ignoraſſet. Recte vero*, reſpondet, *ni affectus interveniſſet.* Verum iſtum loquentium affectum, quantumlibet exaggeres, & argumenti vim ultro citroque diſcuſſi urgeas, quod nempe

 circa

circa præſentis vitæ bona malaque unice verſatur, inde non efficias tamen, incredibile non eſſe, inter homines futuræ vitæ perſuaſione imbutos, nullam de ea, dum providentiæ divinæ vias circa improbos probosque excuterent, uſquam mentionem injectam. Unde enim illud, quæſo, inter Jobum & Amicos, de re omnium momentoſiſſima, & maxime eorum ſcrupulos nodosque circa divinam gubernationem ſolvere apta, quaſi ex compacto obſervatum ſilentium? niſi dicamus, aut ignoraſſe revera, quod minime de viris adeo religioſis & ſapientibus autumarim; aut, quod verius eſt, conſilium Scriptoris, & libri ipſius ſcopum id poſtulaſſe, ut quæ revera Jobum circa melioris vitæ ſpem in ærumnis ſuis locutum credibile eſt, quæque nuda & ſimplex caſuum Jobi ſine dubio retuliſſet hiſtoria, ea divini Poematis ratio conſultò præterierit, quæ ſic eſt comparata, ut fauſta rerum converſione in actu ultimo, & temporali Jobi in ſtatum priſtinum reſtitutione, omnis de eo controverſia componatur, ſimulque debitus divinæ Providentiæ adferatur honor.

IN

IN CAPUT XXII.

Reſpondens autem Eliphas Themanites dixit. Numquid Deo poteſt (a) *comparare homo, etiam cum perfectæ fuerit ſcientiæ? Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris, aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua?* Job. XXII. 1-3.

Commendandus hic nobis, & juſtis encomiis extollendus venit Eliphas, qui tam præclara, tam alta, tam vera de Numine diſſerit, unde radicitus exſtirpari queat prava, quæ hominum mentes dudum infecit, ſuperſtitio, dum nativæ Religioni ſuus redditur honor, ejusque genuina indoles aſſeritur. Etenim tanta nobis inſidet ex primæva labe cœcitas, ut humana, quemadmodum ajebat ille, in Deum transferamus, quaſi ipſe cultu noſtro & obſequiis multum juvaretur; quaſi ſcelera hominum & vitia ei dolorem aliquem, aut damnum adferrent, quapropter ira percitus, tanquam ad privatam injuriam ulciſcendam, fulmina delinquentibus intentaret. Inde tot hoſtiæ inventæ tot piamina,

at-

(a) Textus ipſe Vulgatæ habet *comparari*, nullo ſenſu; proinde amanuenſium error eſt, pro *comparare*, uti recte monet Vavaſſor.

atque operoſus apud gentes pleraſque rituum & cærimoniarum apparatus excogitatus, quo ſibi placatiorem Deum reddituras ac veluti delinituras miſeræ exiſtimarunt. Inde orta quoque tot jejunia, flagra, & macerandis corporibus diræ pœnitentium, ut vocant, aut fanaticorum potius carnificinæ. Neque ab alio fonte prodiit phariſaica plane, quæ etiamnum apud Chriſtianos regnat ſuperbia, quæ ſi quid recte fecerit id ſtatim Deo imputat, & virtutis ſuæ præmium ab ipſo quaſi debitum repoſcit. Ex eodem mentis errore manat zelotarum immanitas, qui de rebus ſacris diſſentientes a ſe vexant miſeris modis, in eos truculenter ferociunt, imo tanquam hæreticos *devitant*, apoſtolico præcepto parentes ſcilicet, id eſt, abſque ulla miſericordia torquent ad necem usque, ex fiducia, ejusmodi lanienis obſequium ſe præſtare Deo, ipſumque velut magno beneficio demereri. Quam longe illi omnes aberrent a vero, docet Eliphaſus. Nempe ea eſt Numinis majeſtas, tantoque ſupra omnes creaturas faſtigio eminet, ut opis noſtræ minime indiga ſit, adeo ut conſummatæ ejus felicitati quicquam dictis factisque hominum demi aut addi poſſit. Minime tamen putandum, ut levitate ingenii humani ab uno errore in op-

oppoſitum tranſcurri ſolet, inde elici poſſe, Deum hominum res & facta non curare, aut quemadmodum ſe gerant, probe an improbe, ipſi perinde eſſe. Aliud ſentit vir cordatiſſimus, Eliphaſus. Nimirum leges Religionis nobis a Deo latas, non quo ſibi ipſe proſit, ſed quia bene nobis eſſe velit; Dum pietatis, juſtitiæ, temperantiæ officia ab homine requirit, id ex amore facit, ut ejus felicitati conſulat. Quando Deum ex animo veneramur, ipſi pro collatis donis, gratias agimus, cæteros homines benevolentia complectimur, & quibus poſſumus officiis juvamus; cum ſi quid peccatum aut erratum ſit, veniam a Deo ſupplices poſcimus, cultum certe ipſi gratum exhibemus. Cur vero gratum? Cauſſa eſt duplex. 1°. Quia res eſt juſta atque decens, quam pro ſanctitate ſua Deus omnino ab hominibus requirit, fieri enim nequit, cum ſanctus ſit atque Ordinis parens, quin talem morem vehementer probet, contrarium vero damnet. 2°. Quia res nobis eſt ſummopere utilis, & in commodum noſtrum nunc & in poſterum ceſſura, eam, quia ſumme bonus eſt, mandat ſedulo, & fieri jubet. Si deſimus injuncto officio, dubio procul legis ſuæ contemptum vindicaturus, & pœnis ſevere caſtigaturus; tum in aliorum

ex-

exemplum, tum ad peccantis ipſius emendationem, ut mature correptus, ad officium & bonam frugem redeat. Ea eſt, docente etiam Apoſtolo Jacobo, pura & immaculata Religio, quæ patriarchali ævo, per Jobi tempora, vigebat apud pios Arabes, ubi haud paucos credibile eſt veri Dei cultores floruiſſe: nativo ſuo colore nitens, necdum ſuperſtitionis fuligine, dicam, an minio infuſcata. Emicant hic ſublimioris cujusdem Philoſophiæ ſtricturæ, quæ majorem Poëmati noſtro antiquitatem, quam vulgo creditum eſt, aſſerere videntur, & ante legem a Moſe perlatam ſcriptum arguunt. Lex quippe Moſaica, utpote rudi & craſſioris ingenii populo adtemperata, Deum Judæis ſub ſpecie & ſchesi Regis cujusdam terreni cum exhiberet, affectibus eum humanis nonnunquam induit, & ἀνθρωποπαθῶς magis quam θεοπρεπῶς repræſentat, quaſi externi cultus ſplendore, aut operoſa & anxia rituum obſervatione plurimum delectaretur; quaſi eum opiparæ dapes, pingues victimæ, ſumptuoſa ſacrificia, thuris & odorum ſuffitus, miniſtrorum pretioſæ veſtes, & mundicies multimodis ablutionibus quæſita, majorem in modum exhilararent. Velum equidem ex parte legi detraxerunt ſubſequentes Prophetæ,

per-

per quos ipſe Deus ſe donariis non egere, V. Eſai
victimas reſpuere, rituum ſibi pompam Cap. I,
& feſtorum dierum ſolemnitates faſtidio LVIII.
eſſe ſæpius profeſſus eſt. Sic tamen ex Amos
promiſcuo adhuc vulgi ſenſu locuti ſunt, Cap. V. &c.
ut Deum ob improbos hominum mores mœrore affici, ex rebellantium peccatorum pervicacia tædium percipere; erga cultus ſui deſertores zelotypia pungi adfirmarent: contra, ex pœnitentium ad meliorem mentem reditu ſummum capere gaudium, ac propter conſtantem ſuorum in obſequio animum ſerio triumphare. Dantur talia humani ingenii imbecillitati, quæ dum ad divinæ naturæ celſitudinem aſſurgere nequit, ejuſmodi imaginibus ſuo captui accommodatis permovetur efficacius. Sed illud interim firmiter tenendum eſt, ſi de Deo, ut decet, ſentire velimus, minime illius, ſed noſtra ſolum intereſſe, ut eum colamus ex animo, ut religionis & virtutis obſervantes ſimus, ut divinis mandatis omnibus ſedulo pareamus. Hic noſtræ felicitatis fons unicus, inde omnis noſtra in æternum uſque fortuna dependet; quamvis hujus ſimul univerſa ad Deum gloria redeat. Ingeminat Elihuus infra, nunquam ſatis alte demittendum in
animo effatum. *Si peccaveris, quid ei noce-* Job
bis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, XXXV. 6—8.
quid

quid facies contra eum? porro, ſi juſte egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adjuvabit juſtitia tua. His conſentanea cecinit regius vates Pſalmo XVI. *Dominus es tu. Bonum meum non eſt ſuper te. Pro ſanctis qui ſunt in terra, & ducibus eorum in quibus eſt omnis voluptas mea.* Sic blandientis ſibi, & nimis altos ſpiritus ſumentis ſuperbia retunditur. Sic ad cultum illum verum & rationalem in Evangelio patefactum adſcenſus fit, mensque ab illiberali ſuperſtitionis fæce repurgata, conditori ſuo, quem rite veneratur, approbat ſeſe. Cave autem, ne dicto ſapientiſſimo in impietatis patrocinium abutaris; quaſi, quoniam peccata noſtra Deum lædere nequeunt, ſecure ipſis indulgere liceat, neque ulla inde a Deo vindicta exſpectanda, aut pœna metuenda ſit; quaſi aliud nullum peccantibus ſupplicium immineat, præter ea, quæ ex pravis factis ſponte ſequuntur, incommoda. Non tam leniter, profecto, cum iis aget ſanctiſſimum Numen, nec fas & jura conculcantes impune abire ſinet. Vindicabit certo certius Omnipotens injuriam ipſius virtutibus factam, imo creaturarum univerſitati, imo rerum ordini & rationi immutabili; eritque ultio prave factorum

tanto

tanto minus evitabilis, quod nulla damni accepti compenſatione, nulla animi impotentiæ, nullo philautiæ morbo, ſed ſumma Vindicis Dei Ratione & perfectione nitatur. Serio id apud ſe reputare velim ſcelerum artifices, ſi in deſtinato curſu ad ultimum perſtiterint, citius a Deo propriam naturam exutum iri, quam ut patiatur improbis non eſſe male. Cavendum porro, ne alius, ex Eliphaſi & Elihui ſententiæ occaſione, ſe tueatur error; eorum ſcilicet, qui pertendunt nullum ſatisdationi pro peccatis, aut ſacrificio piaculari uſum; cum Dei, ut ajunt, id benigniſſima natura ferat, ut reſipiſcentibus, & emendatiorem in poſterum vitam ſpondentibus gratuito condonet delicta, minime igitur, ut cum Deo in gratiam redeamus, nobis opus eſſe mediatore. Ii abunde refelluntur, tum ex Elihui extremo ſermone, ubi Angelum illum מליץ *internuncium* memorat; tum ex diſertis Apoſtolicorum ſcriptorum teſtimoniis, cum Chriſtianæ doctrinæ ſumma in generis humani redemptione, & mortis Chriſti vi ἱλαςικῇ vertatur. Cui nihil oraculum Eliphaſo prolatum quicquam præjudicat, etſi pro temporis captu talia ei arcana nondum paterent. Quamvis enim peccatis noſtris Deum, proprie & accurate loquendo,

do, non offendimus, nec ullum ei detrimentum inferimus, quod ſatisfactione penſari neceſſe ſit, inde tamen non ſequitur, rectorem mundi ſupremum nullas delictorum pœnas repoſcere debere, nec ſapienter eas in vadis caput transferri. Inde enim omnibus apparet, quanta ſit legum peccato violatarum ſanctitas, quam reverenda Dei legiſlatoris majeſtas, quam fœda ſcelerum turpitudo, quam non impune id laturi ſint, quicunque in vitiis obſtinant animum, & ad ultimum perſeverant; cum ne reſipiſcentibus quidem bona fide, & immutantibus mores Deus parcere velit, niſi intercedente cruenta illa unigeniti filii oblatione & morte. Tum inde magis ex adverſo eluceſcit immenſa, qua nos in Chriſto amplectitur, miſericordia. Nec ſic ſatis ſarta tecta foret legum divinarum reverentia, unde univerſa rerum harmonia ſuſpenditur, ſi delinquenti ſatis eſſet, ſe factorum pœnitere profeſſo, vitæ in poſterum emendandæ ſtudium. Nimirum hoc pacto nihil obſtaret, quominus pœnitentia ex vitiis, & in eadem relapſatio alternis vicibus in æternum recurrerent, ſicque perpetua legibus moralibus vis inferretur. Sed dum ex una parte pœnæ in vitiis induratos ſempiternæ maneant, & ex alia, reſipiſcentibus

Me-

Mediatoris paſſio in ſalutem imputatur; tunc demum ſua æternis legibus, & quidem inconcuſſo fundamento nixa conſtabit auctoritas. Ut jam ad Eliphaſum regreſſus fiat, unde nos momentoſiſſimi argumenti curſus abduxit, admiranda plane ſubit S. Scripturæ, in rebus divinis tradendis, methodus. Quæ hinc, ut ſeſe captui noſtro & imbecillitati adtemperet, tropico ſermone uti amat, Deum, quo nos afficiat vehementius, humanis affectibus induendo; ab alia vero parte, errores inde naſcituros corrigit aut cohibet, dum diſerte Numinis excellentiam & infinitis ſupra nos partibus altitudinem evectam nobis ob oculos ponit. Quis autem ibi divini Poëmatis θεοπνευϛίαν non agnoſcat? ubi, ævo illo ſimplice ac philoſophiæ luminibus tam parum illuſtrato, de Numine tam alta prædicantur, tam contraria præjudiciis hominum, tam eorum captum ſuperantia, quæ ſimul tamen defæcatiſſimæ rationis ſcitis apprime congruunt. Atque illud cenſuerim inter alia ex occaſione caſuum Jobi, vere prolatum apophthegma, quod recens memoria ad hujus poëmatis ſcriptorem cum pertuliſſet, is operi ſuo, velut gemmam aliquam, intertexendum duxit, & ad poſteros transmittendum. Et merito quidem, cum ve-

ro Eliphaſo, id eſt graviſſimo viro, dignum ſit. At non perinde, quæ mox locuturus inducitur, ut jamjam videbimus, licet ad ſcopum Scriptoris valde pertineant.

Vs. 5. *Propter malitiam tuam plurimam & infinitas iniquitates tuas.*] Sane ingentem ſibi deligit campum Eliphas, in quo libere exultet, imo laſciviat & ſine modo exſpatietur, ſuoque convitiandi & obtrectandi animo morem gerat, nemine prohibente. Nullus enim finis eſt licentiæ, quando quis ficta probra, quæ ex proprii cerebri ſomniis deprompſit, nulla cujusquam fide, teſte nullo, in adverſarii caput audacter aggerit. Sed quæ frons fuit male feriato homini, ut virum integerrimum, & inculpati moris omnibus ſatis notum, tanta calumniarum mole obrueret, & inauditis ærumnis, quibus undequaque premebatur, hunc colophonem imponeret? Qua vero ſpecie aut ratione inductus? nulla alia, niſi quod infelix eſſet, nec ſibi conſentaneum videretur, aut ſalva juſtitia divina fieri poſſe, ut vir pius, nulliusque ſibi ſceleris conſcius, in ſummis miſeriis verſetur. Hanc nimirum anſam arripit, ut amico delicta omnis generis, ut inhumana, fœda, intoleranda facinora diſerte improperet, quaſi ſuis ſub oculis forent peracta, quæ tamen notis-

tiſſima fama, & conſtanti vitæ tenore, quam vir ſatis inter populares conſpicuus exegerat, refellebantur. Lege infra, quæ de ſe palam Capite XXXI. his plane contraria teſtatur, nihil veritus, ne a quoquam mendacii argui poſſit. Quod ſi de occultis duntaxat vitiis ſuſpicionem injiceret Eliphas; ſi latentes innueret animi morbos; ſi bonis per ſe factis pravorum cordis motuum labem adſpergeret, tum aliqua orationi fides quæreretur, aut color nonnullus induci poſſet. Sed inauditum hocce accuſationis genus eſt. Nec abſurdior excogitari, aut ſtultior iniri queat aliquem arguendi, reumque peragendi via; ſic ut malo ſpiritu inſtinctum Eliphaſum dixeris, qui adeo procaciter & inſubido modo tam propudioſa in ſanctiſſimi viri ignominiam intorqueat. Parum certe abeſt quin credam Diabolum, cui res apud Deum male ceſſerat, nunc calumnias ſuas Eliphaſi ore elatrare, quo Jobum ſaltem male urat, ejuſque famam apud homines proſcindere, ac fœda labe adſpergere nitatur. Commentatores plerique hîc operam ludunt, dum molliori interpretatione feritatem ejuſmodi temperare, & ad probabilem quodammodo agendi rationem ſenſim adducere laborant; dum per conjecturam, dum ex hypotheſi quadam

 ho-

hominem locutum volunt; dum disjunctive accipiunt, quæ junctim, & confertim in Jobum impacta fuiſſe crimina apparet. Non vero conjecturam ſapit, non hypotheſim fert ipſe orationis flexus; ne disjunctionem quidem, unde mire frigeſceret & langueret oratio. Crudæ ſunt voces convitiantis, & temere jactas obtrectationes in immeritum caput, glomere velut facto, accumulantis. Quid igitur id rei eſſe cenſebimus? Nempe quod a me jam ſæpius eſt indicatum. Non hîc nudam rerum geſtarum, aut ſermonum circa Jobum habitorum relationem fieri; ſed merum Drama eſſe, ſub notis nominibus, & ex argumento veræ hiſtoriæ fictos ſermones exhibens, ad fabulæ totius intentum, & ad ſcopum quem ſibi Poëta præſtituit, artificioſe exactos. Si mihi ergo auſcultare vis, ne animum induxeris, Jobo uſum amicitiæ & conſuetudinem interceſſiſſe cum hominibus adeo feris & inhumanis, ut ipſi ad incitas redacto, & inter ſummos dolores ultimum fere ſpiritum exhalanti talia probra congererent. Exaggeratio illa fuit infortuniorum, ad Poëmatis uſum conſultò accommodata. Quod Bildad, Sophar, Eliphas, Jobum revera culparint, quod inaudito ejus caſu obſtupefacti, inde ipſius

ipſius integritatis in ſuſpicionem adducendæ aliquam cauſam repererint, id quidem ad veras Jobi miſerias pertinuiſſe libens cenſeo; tentaminiſque, quo ejus virtus mire fuit exercita, haud exiguam partem fuiſſe. Inde Scriptor occaſionem cepit tendendi rem ulterius, ut vividioribus coloribus tam fortis patientiæ exemplar conveſtiret, & divinæ providentiæ latens conſilium in eodem explicaret uberius.

Interpretes hoc loco nominatim perſtringere nolim, aut ſingulorum aberrationes recenſere; adeo cavillationum me pudet, & χρησφυγέτων, quibus in anguſtias redacti ſe utcunque expedire conantur. Unus eſt, qui dicat: *Conjecturaliter loquitur Eliphas. Nititur ejus conjectura eo, quod non eſt homo juſtus in terra, qui non peccet, id eſt, qui non per occaſionem ad tentationem aliquando labatur.* Scilicet ex hoc Eccleſiaſtæ dicto æque legitima conſecutione inferas, nullum dari in terris hominem (a) qui non veſtes nudis detrahat, qui a ſitiente aquam, a famelico panem non prohibeat, a quo viduæ vacuæ non dimittantur, & brachia orphanorum contrita non ſint. Neminem ſaltem tam probum eſſe, qui non, occaſione

(a) Lege a verſu 6to. ad nonum uſque hujus Capitis.

ſione data, in ejuſmodi flagitia prolabatur. Quis riſum ad hæc, qui maxime velit, tenere poſſit? Alius fatetur, Eliphaſum *limites officii & charitatis exceſſiſſe, ex zelo immodico, quo cauſam Dei ſe defenſitare, exiſtimabat, nec tamen pro mendace & falſo teſte habendum, ſecundum omnem invidiam & turpitudinem harum appellationum, quia profunda hypocriſeôs haud ignorans, omnino ſibi perſuaſerat, Jobum pulchram ſpeciem virtutis & pietatis prætexuiſſe occultis criminibus, avaritiæ, oppreſſionis* &c. *hîc tandem nominatim recenſitis, quippe quæ a magnis divitiis vix ac ne vix quidem abeſſe poſſunt.* Sed primò, bonus ille Patronus, cauſſæ Eliphaſi ſuſcipiendæ haud rite advocatus, cavere debuit, ne zeli in Deum appellatione decoraret præcipites ſententias, & mera mendacia, quibus proximi fama proſcinditur; aut ex optimo in Deum affectu ejusque cauſſæ tuendæ ſtudio, veritati ſimul & caritati violatæ excuſationem prætende-
Jacob. IV. 11. ret, alia omnia docente Apoſtolo Jacobo. 2°. occulta non eſſe potuerunt, quæ hîc recenſentur crimina, nec in hypocritam cadere, cum propalam cernantur, & ex eorum ſint numero, quæ ad coelum uſque clamant. Quando aliquem talium inſimulas, ludibrium debeas, ſi ei ſimul hypocriſim exprobres, eumque aſſeras pulchram

chram ſpeciem pietatis manifeſtiſſimis latrociniis prætendere. 3°. abſit ut aſſentiamur eidem Commentatori, talia a magnis divitiis vix ac ne vix abeſſe poſſe cenſenti. Si, prout dicit ipſe, potentibus iniquior, rapina ſpecie juris velata, manus ſpoliatrix, aut egentibus clauſa, ſi viduarum & orphanorum oppreſſio, ex eorum vitiorum numero ſunt, quæ magnas fortunas adflare ſolent, adeoque a priſca Jobi ſorte non abhorrebant; non tamen ejusmodi cenſenda, quæ ſine ſingulari gratia Dei vix ac ne vix quidem evitaſſet; ſic ut non omnino abſurde potuerit ſuſpicari Eliphaſus iis Jobum attineri, quin & in ejus caput ſecure congerere, tanquam haud dubie perpetrata; cùm non in virtute ſegnem & remiſſum, ſed plane impium arguant, legumque divinarum haud ſecus ac humanarum contemptorem.

Sunt, qui Eliphaſum a mendacio, & falſo teſtimonio abſolvant, quod Jobus, innocentia ſua intaminatiſſima ſupra modum prædicanda, his improperiis occaſionem dederit. Sed, quæſo, qui proprias virtutes nimium prædicat, cùm tamen non ſit omni labe vacuus, num continuo is ob eam vanitatem immanium ſcelerum inſimulabitur? ideone jure dixeris, *iniquitatibus ejus finem non eſſe*? teque eo obtentu a fal-

 ſi-

ſiloquio, & calumniatoris nota, vindicabis? Plauſibilius patrocinatur Eliphaſo, cum addit, nihil prolatum in hiſce, quam quod florente Jobo ſæpiſſime dictitatum ab iis, qui divites dente maledico rodere ſolent. Nihil in his expreſſum, cujus non ſpecies ſaltem quædam a maledicis arripi poſſit ad calumniam, adverſus eos, qui opulen-
„ tia & potentia excellant. V. g. jus ſuum
„ alicubi exſequatur dives præpotens, con-
„ tra injuſtos & tricatores colonos; rapi-
„ næ dica ei impingetur: ventrem pigrum
„ a menſa & ædibus repellat; potum ci-
„ bumque negaſſe egenti dicetur: Poten-
„ tiori in bona cauſa faveat & adſit; per-
„ ſonam accepiſſe cenſebitur: Deſolatis
„ non tanta largiatur, quanta cupiditas
„ exſpectat; inanes dimiſiſſe, eosque at-
„ triviſſe pronunciabitur." Cætera ad hanc faciem detorquere facile eſt. Nec læve, fateor, ſuſcepto Elipham purgandi munere Schultenſius functus eſt. Sed rem recte putantibus tales offuciæ non imponent. Calumnia enim inſectantis amici, toto vitæ Jobi tenore, factisque contrariis ſic revincebatur, ut non tantum temerariæ aſſertionis circa dubia & non explorata, ſed flagrantis mendacii contra apertiſſimam veritatem, Eliphas convictus teneatur: Quod ut de vero Eliphaſo incre-

credibile, in perſonato, optima ut vidimus de cauſa, admitti poteſt.

Vs. 17. *Et quaſi nihil poſſet facere Omnipotens* &c.] Hebræa מה יפעל שדי למו interpretarer ex Cap. XXI. 15. *quid proderit nobis ſi ipſum compellemus*, aut *ipſi ſupplicemus*? Verba enim Jobi ipſiſſima ſic retractat Eliphas, ut in dicentem retorqueat. Quæ enim addit ſequenti verſu; *impleverat bonis domum eorum*; exegeſis ſunt verborum, Supra XXI. 16. *Ecce in manu eorum non eſt bonum eorum.*

Vs. 20. *Nonne ſucciſa eſt erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis*?] Recte Genevenſes; *Pour vrai notre état n'a point été aboli, mais le feu a dévoré leur reſidu.* Haud clarius & ſimplicius Hebræa reddi potuerunt. Imo ſic nexus verborum melius cohæret, ex oppoſitione inter juſtos & improbos, *horum*, inquit, *ſententia procul ſit a me. Videbunt juſti & lætabuntur; innocens ſubſannabit eos.* Vs. 18, 19. Tum pergit, *certe non exciſa eſt ſubſtantia noſtra* [nomine piorum loquitur Eliphas] *ſed reliquum eorum*, improborum nempe, *ignis abſumſit.* אם apud Hebræos ſæpe eſt affirmantis. קימה notat *Subſtantiam*, id quod rem facit ſtare erectam, aut ſurgere. נכחד eſt *excindi*, quæ ſignificatio in primo commatis membro, apte reſpondet τῷ אכלה אש in ſecundo.

do. Contorte, ni fallor, Crinſos licet oppoſitione ſervata, *Scilicet, niſi præſervandi eſſent boni, quales nos, ignis jam reliquias horum improborum omnes deleret. Jam univerſus orbis ignis diluvio immiſſo conſumeretur, ut olim aquarum.* Scilicet in animo habuit Oraculum Eſai. I. 9. Sed in נכחד ſenſus *delendi* primarius eſt; *abſcondendi* vero, & inde *præſervandi*, derivatus, & nimis hîc arceſſitus, ut huic ſatis proprie opponi queat, *ignis abſumet.* Schmidius, interpretatione ſatis concinna; *An non excinditur qui exſurgit contra nos? & reſiduum eorum comedit ignis:* ex קים faciens verbum. Sed quotquot ſunt omnium, duritatem vincit metaphraſis Schultenſiana: *Profecto Nihil exciſum Factio nobis adverſaria; & nervum eorum depaſtus eſt ignis.* Quæ ejusdem eſt abollæ cum interpretatione, quam ſupra ad Cap. IV. vs. 21. carpſimus, atque haud immerito quidem; ſi modo ſponte nata, a tortis, violentisque ſeponere novimus. Mirum quàm doctiſſimo Viro ſe commendarit ſubſtantivum illud *nihil*! quam arriſerit figura; *Nihil exciſum, Nihil exſtirpatum, Nihil nihiliſſimum, & peſſime a Deo eradicandum.* Nimirum hi flores ſunt Orientalis eloquii, quos anxio ſtudio conquiſivit, ut hîc nobis conſertos exhibeat. Tot ſcilicet nocturna manu, tot diurna, verſatæ

Ara-

Arabum Schedæ, tot improbi, quos in eruendis Hebreæ linguæ originibus inſumpſit labores, hac mercede placent!

Vs. 23. *Si reverſus fueris ad Omnipotentem ædificaberis.*] En rurſus obliquum ad Dramatis Cataſtropham reſpectum, ubi Poëtæ elegans artificium agnoſcis, in ipſius adverſarii ore probabiliter, ut Orationis & inſtituti argumenti filo conſentánea ponentis, quæ præter dicentis exſpectationem, re ipſa impleta, in exitu comperientur. His ſequentia conſonant, ſpeciatim de auro ſuper pulvere, aut pulveris in modum ſpargendo, id eſt opum abundantiſſima copia. Unde explodenda ſatis apparet Schultenſii expoſitio, qui de contemptu divitiarum vult intelligi. Reparatæ Jobi fortunæ itidem congruunt, quæ verſu 30. hujus Capitis legimus, de favore & gratia, qua apud Deum maxima pollebit, interceſſionisque pro Amicis efficacia.

IN CAPUT XXIII.

Vs. 4. *Ponam coram eo judicium, & replebo os meum increpationibus.*] Recte doctiſſimus idemque acutiſſimus Clericus fatetur, a Scriptore libri hujus, ſi ſermones vere habitos conſtet, eosdem nonnihil

hil liberiore calamo exornatos, & amplificatos reddi. Eſſe enim ſupra humanam audaciam, Deum ad certamen provocare, præſertim ſi homo religioſus ſtatuatur. At judicioſam conjecturam mala ave carpere aggreditur nuperus Enarrator *Extrema illa cautio*, inquit, *ſupervacua: de improbis enim nulla dubitatio.* At mentem Clerici, dum reprehendit Ariſtarchus, eam ſe minus aſſecutum oſtendit, quæ tamen ſatis erat perſpicua. Talia loqui impium, qui de Numine, an exiſtat ambigit, aut illud male odit, id equidem humanam audaciam, ut nimis heu! experientia docet, non ſuperat. Ejuſmodi enim homines cœlum ipſum impetunt ſtultitia. Sed ut vir religioſus, qui Deum vere novit & reveretur, in hanc audaciam prorumpat, id vero ſupra omnem fidem eſt. At inde porro Interpres modo laudatus probat id a Jobo factum, quod propterea improbitatis dica ei ab Amicis ſcribatur. Quaſi vero qui fictam volunt, aut interpolatam a Scriptore Jobi orationem, non & Amicorum quoque reſponſiones eadem opera interpolatas aut fictas contendent? *Id ratiocinandi genus quale ſit neſcio, neque ipſum qui uſurpat*, alibi mente peregrinante, *ſatis perpendiſſe* crediderim. Sed quiſquis pro calamiſtro Scriptoris habet,

bet, non rei geſtæ documento & vero affectu, ejuſmodi ſenſa & verba, eo quod a religioſa veri Jobi indole abhorreant, ſed talia ſint tamen, quæ Poëmati illuminando, ubi Job loquens inducitur, & affectibus permovendis, apprime faciant; is ſpero, qui ſic cenſet, bene, tamque ad Logicæ, quam ad Critices accuratæ legem calculos poſuiſſe, peritis videbitur.

Vs. 8. *Si ad Orientem iero, non apparet.*] Præſens ubique Deus, qui nempe omnia numine & eſſentia ſua complet. At ſimul ubique inacceſſus, utpote inconſpicuus, & naturæ præcellentia extra ſenſus humani captum poſitus. Quæ duo optime inter ſe congruunt. Vide hoc loco Codurci notam, & quæ nos ſupra ad Cap. XI. vs. 10. obſervavimus. Lepidum Celeberrimi cujuſdam Interpretis commentum hîc non temere prætereundum. *Ire antrorſum* הן קדם אהלך exponit, *proſpicere in futurum tempus, & gratiam promiſſam in Meſſia.* Quidni vero id retroceſſio pari jure nuncupetur; cum prima de Meſſia exhibendo promiſſio ſit Adamo facta, ſtatim a lapſu, ſitque agnus immolatus a jactis mundi fundamentis? adeo ut, quod *ire retrò*, intelligit, *mente ſua redire ad primam promisſionem Adamo factam & deinceps*, idem prorſus aliis verbis fruſtra ingeminet. *Un-*

de,

de, inquit, *neget noſter*, *ſe intelligere poſſe cur impii adſligantur.* Eum primò rogatum velim, quid ad hoc ζήτημα venturi Meſſiæ exſpectatio pertineat? Sed 2do. fruſtra in his vocibus *antrorſum* & *retrò* aliquod myſterium ruſpatur. Certe perinde eſt, liberationem a Meſſia parandam ſpectanti, eumne venturum cogitet, an olim promiſſum meminerit.

Vs. 14. *Cum expleverit in me voluntatem ſuam.*] Mira ad hunc verſum interpretationum Divortia, in contrarios plane ſenſus inflectentium. Cajetanus vult; *ipſe reſtituet ſtatutum meum, non me derelinquet absque præmio.* Alii, *perficiet demenſum meum. Non negabit mihi neceſſaria vitæ commoda.* חוק nempe illis, idem fere quod ἄρτος ἐπιούσιος ſonat. Pineda cum Vulg. & Hieronymo; *cumque expleverit voluntatem ſuam in me, & alia multa præſto ſunt ei*, id eſt novis adhuc & inſolentibus ærumnis me poterit exercere. Coccejus ſic explicat: *non eſt contentus me adflixiſſe ſemel, aut eo modo quo alii adfliguntur; ſed ingeminat, accumulat, ſæpius & ſemper adfligit.* Calvinus: *Id quod de me conſtituit, ratione tum vitæ, tum mortis, perficiet, prout omnia noſtra in manu ejus ſunt poſita — Ecce ſcio de me actum eſſe. Quod de me conſtituit, id perficietur. Nihil proficiam, etiamſi reſponſem*

&

& expoſtulem cum eo. Eadem mente Mercerus. *Non miſſum me faciet donec impleverit, quæ de me ſtatuit & decrevit, utpote omnipotens & immutabilis. Soletque ille talia multa facere ex abſoluta potentia, quorum ratio nobis exquirenda non eſt.* Fatetur nihilominus ſententiam ambiguam; cum חין in utramque partem, tam bonam, quam malam, ſumi poſſit. Licet vero ejus & Calvini ſententiæ magis acclinis ſim, quæ ex ſequentibus verſibus aliquid majoris probabilitatis trahere videtur; malim tamen in verſione ambiguitatem ſervari. Adeoque facere non poſſum, quin Genevenſis vernaculæ prudentiam collaudem, quæ oppoſitis ſeſe ſenſibus commodat, tali ſententia; *quidquid de me decreverit, ſive in bonum ſive in malum, abſolvet, & ſi me liberare volet, nemo impediet, & contra*; ut Merceri verba faciam mea. Non ultra generalem hanc ideam, quæ bona juxta atque mala complectitur, videtur Jobi mens proceſſiſſe. At Schultenſio, cui non niſi torva, vehementia, & omni exaggeratione intenſiſſima placent, cuique molle & elumbe eſt, quicquid ferale aliquid & tragicum non ſpirat, Arabiſmi ſui ope atrociora adhuc excogitantur, ſic reddenti; *nam ipſe tradit id, quod mihi debetur, meum jus fruſtrans & dedens.* Metaphora de-

deſumpta a deditione, quam Arabico اسلم אשלם ineſſe vult. Unde formula, اسلم حقة *Eum non defendit, ſed hoſtibus tradidit vexandum.* At male diſpereat Arabismus, nobis oggerens tam durum piarum aurium offendiculum! Hæc rata interpretandi lex eſto; ſi multiplicem ſenſum ipſe fons admittit, religioſe ſervet inde ducta verſio ancipitem in diverſas & contrarias ſententias orationis flexum, ut liberum maneat lectori judicium, nec forte pro auctoris mente, ſuam interpres obtrudat, a priore ſæpe alieniſſimam. Privæ conjecturæ commentario reſerventur, idoneis ibi rationibus adſtruendæ. Quod in ſuo Calvinus, non certe pro ſolita circumſpectione ait, *deſperabunde* Jobum eſſe locutum, id Schultenſius, guſtui ſuo apprime congruum, ſic emollit, ut ratione tantum præſentis vitæ intelligendum dicat, & immenſo ſancti viri dolori facile condonandum. Sed plane quisquis cum Schultenſio facit, ex uno Jobo duos homines conflat, a ſe invicem toto cœlo diverſos; quorum alter, ſpe melioris vitæ præmiique æterni, præſentes ærumnas facile ſuſtinet, dulciſſimo ſolatio eorum amarorem diluens, ac divinæ voluntati placide acquieſcens; dum alter, contra, doloris æſtuantis impetu, in de-

deſperationem actus, adverſus Deum ipſum impotente audacia conſurgit. Profecto in uno eodemque animo tam diſſonos affectus conſiſtere poſſe, nemo, qui humanæ naturæ gnarus ſit, unquam dixerit.

Vs. 17. *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*] ומפני כסה אפל Planus erit ſenſus, ſi לא a priori commatis parte eliminetur; aut potius ſi pro לא *non*, לו *ipſi* legatur; quod ſæpius uſuvenit in noſtris Codicibus, harum particularum alteram pro altera vitio poni. לו נצמתי igitur erit, *ipſi*, id eſt *ab ipſo*, nempe *Deo*, *exciſus ſum a facie tenebrarum.* Aliter ſenſus vix expediendus, ut oſtendunt diſcrepantes, nec minus irriti Interpretum conatus, qui fruſtra inter חשך & אפל verſus noſtri, diſcrimen aliquod inveſtigare volunt; ut prius miſerias omnis generis, quas expertus erat Jobus, poſterius mortem ipſam denotet, miſeriarum finem. Quam inconcinnus enim vocum ἰσοδυναμούντων in eadem ſententia concurſus: ut uno halitu ſe dicat *non abſcindi a facie caliginis*, ſtatimque contra affirmet, *a ſe tenebras abſconditas?* ſed omiſſa negante particula, æquabilis fit oratio; idem enim aliis verbis ingeminatur, quod noſtro Scriptori non tantum,

P ſed

ſed τοῖς משלים. & generatim Hebræorum Poëſi ſolenne eſt. Namque, *exciſus ſum a facie tenebrarum* &, *a facie mea caliginem abſcondidit Deus*, unum atque idem ſignificant: ſcilicet, mortem mihi Deus invidet, unicum malorum remedium, & diris tempeſtatibus aſſidue jactato, exoptatiſſimum portum.

IN CAPUT XXIV.

Vs. 1. *Ab Omnipotente non ſunt abſcondita tempora.*] Sententia in Textu valde ambigua, quæ triplicem fert expoſitionem. Clericus nectit cum verſu ultimo præcedentis Capitis in hunc ſenſum: *Cur vero a Deo non ſunt difficilia tempora nobis occultata, & qui eum timent, antea placida morte e medio non tolluntur?* Hæc tracta & torta pronunciat Schultens, nec immeritò, ad 2dum. præſertim colon quod attinet. Ipſe עתים de ſtatutis judiciorum pœnarumque temporibus intelligit, quæ velut in penum aut theſaurum reconduntur. Per ימיו ſimiliter notabiles aliquot dies vindictæ divinæ, quos veris Numinis cultoribus cernere non liceat. ידעו לא-חזו ימיו Senſus, ut videtur, maxime naturalis & opportunus. Nam ſequitur longa maleficorum ſeries, quos, dum omnis generis ſceleribus in-

indulgent, impunitos abire ſinit divina nemeſis. Et hoc ad intentum Noſtri maxime faciet. Crinſos vult, נצפנו ימיו eſſe vindictam dilatam & in aliud tempus, nempe alterius vitæ, repoſitam. *Quidni ſibi Omnipotens alia tempora plectendis impiis reſervaret, quandoquidem noſcentes ipſum non animadvertunt id fieri in hac vita?* Sana equidem ac veriſſima ſententia, quæque Hebræo contextui nullam vim infert. Neſcio tamen, an ad præſentem Jobi æſtuationem, quam compeſcere & ſedare debuiſſet, aut etiam præcipuum libri ſcopum, ſit ſatis accommodata, ubi alterius vitæ σκέψις conſulto omiſſa videtur.

Vs. 12. *De civitatibus fecerunt viros gemere* &c.] *Intricatus locus*, ait Cl. Schultens, *cujus nec prima pars clara, & poſtrema multo obſcuriſſima.* Mirari ſatis nequeo criſim Viri ſagaciſſimi, cum vix planius quicquam in toto libro aut enodatum magis occurrat. Variant interpretes, fateor, verſioneſque longe a ſe invicem abeunt; at quis eſt, qui has illosve paulo diligentius volverit, qui neſciat parum certam hanc eſſe obſcuritatis notam? Placuit Schultenſio tot inter ſe diſcrepantium ſententiarum nulli accedere, novamque metaphraſim comminiſci, quæ ſic habet: *Eo quod vindicta nulla ſit, homines*

 gemunt.

gemunt. Nempe voci עיר ex arabica dialećto poteſtatem ſingularem tribuit, quæ *vindictam* ſonet; a verbo עור *vigilare*, *zelare*, *vindicem agere*, repetitam. Sed præterquam quod ſignificatio illa inſolita eſt, & longe quæſita; Jeremiæ enim, quem adducit, locus Cap. XV. vs. 18., valde ambiguus; ecqua ſyntaxeos lege conficiet, מעיר ינאקו reddi poſſe; *eo quod vindicta nulla ſit, homines gemunt?* cum ex ipſius mente ad verbum eſſe debeat; *ex vindicta gemunt*; ubi nullum negationis veſtigium. Vellem ſaltem attuliſſet exemplum. Deinde in fine verſus תִּפְלָה quod *inſulſum* proprie notat, *ſputationem* transfert. *Deus non curat ſputationem*; id eſt acerbiſſimas illas querelas, quibus tyrannice oppreſſi cœlum fatigant. Ubi לא ישים תפלה, pro ישים לא vult poſitum, fretus auctoritate nulla. Nihil eum juvat locus, ſupra Cap. I. verſu ultimo, לא נתן תפלה לאלוהים; phraſis enim diſcrepat, cujus ſenſus manifeſtò hic eſt, *non tribuit abſurdum Deo*. Noſtro vero loco omnino תְּפִלָּה legi oportet. Tunc omnia inoffenſo pede procedent, & nexui, & menti loquentis congrua. *Ex urbe homines edunt gemitus, & animæ percuſſorum clamat ad Deum; at Deus non audit preces*. לא ישים תפלה *non apponit preces*, ſupplendum בלבו. Contrarium ejus quod legitur

gitur Pſal. CII. vs. 18. ולא בזה את תפלתם *Non ſprevit preces illorum.*

Vs. 16. *Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſeſe, in tenebris non viderunt lucem.*] Recta utique Vulg. interpretatio. Melior adhuc Genevenſium, *ils percent en ténébres les maiſons qu'ils avoient marqué le jour*. Sic etiam verſio Anglica. Is enim furum mos eſt, ut domos de die quadam nota, quaſi ſigillo impreſſo, inſigniant, quas noctu ſunt perforaturi. Alienum, interpretari de adulteris, qui in domos noctu irrepunt, ubi de die ipſis condictum, aut de *τεκμηρίοις* ab amica conſtitutis: nam חתר *perfodit*, furum proprium, neutiquam congruit amatoribus, qui poſtico fallere ſolent, aut feneſtris taciti irrepere; non muros perfringere. Alienius adhuc a genuino ſenſu reddunt οἱ O, *ἡμέρας ἐσφράγισαν ἑαυτοὺς interdiu obſignant ſemet*, ſigillo velut ſemet abſcondunt & includunt, ut habet Symmachus *ἐν σφραγίδι κρύπτουσιν ἑαυτοὺς*. Cl. Schultens; *diem ſibi ſuum obſignant*, eum videre non ſuſtinent, ſed veluti tenebris damnant iſti dormitores & vecticularii. *Diem ſuum obſignare ſibi*, pro lucem fugere & domo ſe continere, ſane elegans, ſed paulo coactius videtur. Vide annon planius ſic foret: *Noctu perfodiunt domos, quas de die ſignave-*

gnaverant, ſupplendo אשר, quod millies ſubintellectum.

Vs. 18. & ſeq. *Levis eſt ſuper faciem aquæ* &c.] Inſignis propter obſcuritatem locus, cui Criticorum perſpicaciſſimi facem accendi poſſe deſperarunt; ut ad ænigmatis tot nodis implicati ſolutionem, novum quendam Oedipum naſci oporteat. Talem ſe nobis, pro eruditione & ſollertia ſolita, infert Schultenſius, per avia & ſalebroſa, nullius ante trita ſolo, ſibi iter intentatum adhuc, magno animo aperiens. Hoc verſu itaque & ſequentibus deſcribi cenſet novum maleficorum, perditorumque hominum genus, eorum ſcilicet, qui infandam venerem exercent; ἀρσενοκοίτας καὶ παιδοτρίβας. Recte nimirum cenſet, & quantum patitur verecundia, opera illa tenebrarum, κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, ſub allegoriæ velo ſic innui, ut tamen quid ſpectet auctor ſacer ſatis exploratum ſit. Num feliciter conjectarit, Criticorum arbitrium eſto. Sed conjectationis fundamenta nunc paucis expedienda. Ac primum ipſi, *levis eſt ſuper faciem aquarum*, efferatam effuſiſſimamque libidinem indicare videtur. In quam phraſeôs acceptionem laudat Geneſ. XLIX. 3. ubi פחז כמים dicitur de Rubene paternum torum contemerante, quod ipſi viro clar. ſonat *tumi-*

tumidum fervorem, qualis eſt aquarum, quas nulla repagula coërcent. Ingenioſe cogitatum utique; ſed quamvis utrobique aquæ memorantur, diſconvenit tropus & locutio. Aliud enim longe eſt, *levem ferri ſuper faciem aquarum*, aliud, *trepidare*, effluere *aquarum in morem.* Illud celerem tranſitum, tanquam lembi ſummos fluctus ſtringentis ob oculos ponit; hoc vero profuſam, fluxam, freni neſciam ἀκρασίαν & libidinem, in quævis ſcelera mobilem ac præcipitem. 2°. Quæ de כרם *vinea* & חלקה *portio*, ſimul junctis, Jerem. XII. 10. hocque ultimo portionem agri, qui aratur & conſeritur, deſignante; unde anſa porrigitur tropo ἀλλοτρίαν ἄρουραν ἀροῦν, ad ſignandos adulteros; & quas plures in eundem ſenſum locutiones erudite congerit, haud quidem ſpecie carere, ſatisque ad intentum opportunas fateor. At quod uxor in pſalmo vineæ frugiferæ comparatur, ejuſque liberi palmitibus, inde minime efficias, *reſpicere viam vinearum*, de conjugii uſu, aut honeſti matrimonii amore, intelligi debere. Nam tropi ſola loquendi conſuetudine valent; nec propter tenuem quandam analogiam, ex una locutione, aliam valde diverſam explanare unquam tutum fuit. 3°. Imagines verſus 19. nimis vagæ ſunt & indefini-

tæ, quam ut huic interpretationi præcipuum aliquod firmamentum addant. Præſertim 4°. loco vim adfert manifeſtam noſter Interpres verbis שאול חטאו, reddens per, *profundiſſime, profligatiſſime peccant; vel ita peccant, ut vivi in orcum deſcendere merentur: vel flagrant ardore tam ſævo, tam furiali, ut vel orcum ipſum intra ſe recipere geſtiant.* Vel tandem; *libidinoſos illos rapit inſatiabilis & infernus gurges nequitiæ, in quo vivi videntesque perire ſe ſentiunt.* Ingenioſos hic admiror verſatilis imaginationis conatus; expoſitiones video, intentæ rei probabiliter accommodatas; vereor tamen ne precariæ appareant, & ad arbitrium compoſitæ. Magis congruunt characteres ex verſu 20. deſumpti. Sed cum cætera nihil adjuvent, ac potius in alia omnia nos trahant, ἐπέχω, ampliandum cenſeo, aut ſi quid in dubiis eligendum eſt, malim ad Codurci, cui Grotius præivit, ſententiam accedere, de iis intelligentis, qui θάλασσαν ἐργάζονται, & ſpreta agricultura ex re nautica quæſtum faciunt; aut iis, qui Piraticam exercent. Quò ſatis commode flectit omnes hujus deſcriptionis partes. In eo acquieſco, tantiſper, dum improviſa lux ſpiſſas hinc nobis tenebras diſpellat.

Vs. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis*

aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius.] Sententiam textus ſic deformat Vulgata, quod idem de 70virali verſione ſit dictum, ut vix veri ſenſus veſtigia appareant. Hebræa; ציה גם־חם יגזלו מימי־שלג שאול חטאו ad verbum; *ſiccitas & calor rapiunt aquas nivis, ſepulcrum, eos qui peccant.* Recta & ſimplex Calvini expoſitio: *Improbi aquis velociores effluunt; & quomodo terræ ſiccæ, calorque ſolis, nives & humiditatem, quæ in illis eſt, abſorbent, ita ſepulchrum deglutit improbos.* Res ipſa clamat, genuinum hunc eſſe ſenſum, & fruſtra alium quæri. Nempe comparatio ducitur a nubibus per æſtum liquefactis, & ab arente humo ſic abſorptis, ut confeſtim oculos fugiant, ne minimo quidem veſtigio relicto; quo propera improborum ruina, morſque citiſſima adumbratur. Clarum, verba שאול חטאו apodoſin eſſe comparationis, & per conſuetam ellipſim eſſe interpretanda; *uti ſiccitas & calor rapiunt aquas nivis, ſic ſepulchrum rapiet eos, qui peccarunt.* At expoſitoribus bene multis ea ſimplicitas ſordet. Unde per varios anfractus ſenſum venantur, qui ſuo cujusque ſcopo aut nexui reſpondeat; non quid Jobus revera dixerit noſſe ſolliciti, ſed quid eorum judicio dicere debuerit. Hæc opinionum diſſidia prolixe, ut ſolet, re-

cenſet atque excutit Cl. Schultens, nova vocans, quæ Cimbam ſuam citcumagunt, maris undoſi pericula. Vir eruditiſſimus enim nimium quàm ea metaphora delectatur, nec niſi horrentes ſcopulos, fluctus tumidos, æſtuantia freta, ubique cernit, ipſe interim de navigatione ſecurus, utpote qui ſibi ὅρμον proſpexerit, ubi tuto anchoram jaciat; nempe in exegeſi, quam ſupra retulimus. Illa tamen, ni fallor, *ſtatio maleſida carinis*. Quicquid ſit, magno ſupercilio Codurci ſententiam reſpuit, verba detorquentis in redargutionem eorum, qui agricolatione ſpreta, navigationi ſe dedunt. Qui perinde facere dicantur, ac ſi quis repudiaret aquas fluviales, ac puteos potius profundiſſimos peteret; cauſſatus fluvios, ex nivibus imbribusque fere collectos, æſtate ſiccari & decreſcere. Hæcce dubia ſatis, quamvis ſumma confidentia pro indubitatis tradita a Codurco, non attigiſſem, niſi occaſionem præberent inſignem Jeremiæ locum, quem pro ſe adfert, a prava ipſius interpretatione vindicandi, atque quodam tenus elucidandi. Is locus exſtat Jeremiæ XVIII. 14. Ibi fatendum licentius ſe geſſiſſe Metaphraſtas nonnullos, in quibus Belgici & Genevenſes, dum negantem particulam addunt, quæ abeſt a textu, & ſenſum comminiſcuntur a men-

te

te Prophetæ, & comparationis ſcopo alienum; ſic nempe vertentes: *An non deferet aliquis nivem Libani, pro rupe agri? aut non relinquet aquas non naturales & frigidas, quamvis fluant?* Impulit in errorem ſcilicet aliud ſimile occurrens ſupra Jer. II. 13. Hebræa verbotenus ſic habent. *An deficiat ex rupe agri mei nix Libani? num abſcindentur, aut avellentur aquæ peregrinæ, frigidæ, fluentes?* Sententia hæc eſt, debuiſſe Judæos in cultu veri Dei, legumque ejus ſtudio & obſervatione, eodem tenore perſtare, quo ipſa rerum natura ordinem ſibi a Creatore inditum conſtanter ſervat, nec ab eo deflectit unquam. Quam comparationem aliquot Poëtarum locis citatis illuſtrat Hieronymus a. l. Sic fluvii eundem ſemper ab origine curſum tenent; ſic indeſinenter rivi in Palæſtina & fontes ſcaturiunt; quibus nempe jugiter nives in Libano ſolutæ aquas per rupium fiſſuras manantes ſuppeditant. Nec minus idem in aliis regionibus obtinet, ubi non deficiunt flumina, non ceſſant fontibus vivi latices ad ſitientium viatorum refrigerium manare. Nempe cum Deus pacti cum Iſraële fœderis firmitatem ex ſolis lunæque in ſtationibus ſuis ſervandis conſtantia æſtimari velit; Jerem. XXXIII. 35, 36. item Pſal. LXXXIX. 38; pariter æquum

erat,

erat, populum illum fidem Deo inconcuſſam præſtare, & divinarum legum perpetua obſervatione, ac nuſquam aberrante praxeôs ad eas exactæ curſu, fluviorum perennitatem æmulari. Optime poſt Hieronymum ſic locum interpretatur Clericus, cujus notam vide. Duntaxat מים זרים cum illo minime vertendas cenſeo *exundantes aquas*; quaſi זרים poſitum foret pro זרמים, ſed *peregrinas*, ſeu in exteris regionibus fluentes; oppoſite ad eas, quæ ex Libani, vicini Palæſtinæ montis, jugis defluunt: ut innuat hanc fluminum perennitatem ubique obtinere. Aliter, cum ſequatur נֹזְלִים *fluentes*, bis idem diceretur. Codurcus meritò equidem carpit Genevenſes noſtros, quod negantem particulam textui invito intruſerint; ſed ipſe viciſſim aberrat a genuino ſenſu, dum ſic reddit: *Relinquetne aliquis nivem Libani, præ rupe quæ eſt in agro?* i. e. quis erit tam vecors, qui ſiti confectus, relinquat aquam fluvii e monte Libano ſcaturientis, qualis eſt Jordanes, ut ſe conferat ad foſſas agri, ad rupes ſtagnantes, vel ad aquas cavis rupibus exceptas & collectas? vel quis amne relicto, aquas petat e rupibus ſiccis, e pumice? Oppoſitionem nimirum ſomniat hîc inter nives Libani, aut quod prave idem eſſe vult, fluviales

Jor-

Jordanis aquas, ex nivium Libani jugis inſidentium colliquio manantes, & rupem agri, aut aquas in cavis rupium ſtagnantes; cum revera oppoſitio nulla talis ſit. De ſtagnatione enim, Hebræa ne gry quidem, uti nec de Jordane. Neque temere quisquam aquis e rupe ebullientibus, מצור שדי, ſolutas nives anteponeret. Quo etiam, tanquam abſono, offenſi Genev. interpretes, ad negantem particulam ſupplendam confugerunt. Non vero contenduntur hæc inter ſeſe, ſed una conjunguntur aquæ, tam ex Libani nivoſis cacuminibus, quam ex rupium viſceribus & latebris perenni fluxu jugiter decurrentes, quo perpetuus Naturæ tenor ob oculos ponatur, quem Judæorum in fœdere divino ſervando conſtantia æmulari debuerat. Porro, ut verſio Codurci ſtare poſſit, oporteat pro thau, teth ſubſtitui, & pro ינתשו legi ינטשו, *deſerentur*, pro *exſcindentur*. Sed fruſtra ſanam & perſpicuam lectionem ſollicitat, ut noſtro Jobi loco lucem fœnerare poſſit.

Nunc ut ad hujus, unde nimium aberravimus, interpretationem regrediamur; illud omne de piraticam exercentibus, agricolatione rejecta, ſatis anceps mihi videtur ariolatio. Quam tamen longe prætulerim Gregorii M. allegoriis, qui per Calorem

lorem aquas nivis rapientem, *impios* intelligi vult, *qui in nulla re modum ſervantes, ab ingenti frigore infidelitatis tranſeant ad hæreſim ardentem.* ô Bona ſæcula! quibus illud fuit Scripturam interpretari!

Vs. 21. *Pavit enim ſterilem quæ non parit.*] רעה עקרה Genevenſes noſtri; *lui qui tourmentoit la ſterile*; *conterens ſterilem*; propter poſterius colon, *non benefacit viduæ*. Alii *paſcunt ſterilem*, ex ambiguitate vocis. Vavaſſor argute heredipetas interpretatur, & teſtamentorum captatores, quos manifeſtum cælibis obſequium nudat. *Fama civem cauſaque priorem, Sperne, domi ſi natus erit fœcundaque Conjux.* Præcepta hæc ſunt jocantis Tireſiæ apud Flaccum cujus adiſis Satyram V. Libri 2[di]. Quanquam valde dubito num illæ artes, Græcis ac Romanis ſatis notæ, in priſca Jobei ſæculi ſimplicitate viguerint. Quid ſi potius vertamus? *depaſtus ſterilem, viduamque expilans & bonis exuens.* Ut mores depingat Phariſæorum moribus ſimiles. Ὀυαὶ ὑμῖν ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν Matth. XXIII. 14. ſic τὸ *non benefacit viduæ* per μείωσιν erit poſitum, pro exſugit atque opprimit.

IN CAPUT XXVI.

Vs. 1, 2. *Reſpondens autem Job dixit: Cujus*

Cujus adjutor es?] Incertum, num ad duos Oratores priores, quibus Bildad auxiliaturus venerat, an ad ipſum Jobum, aut ad Deum, cujus cauſæ hic ultimus, non minus reliquis ſe aſſertorem & patronum profitebatur, ſint referenda. Ex triplici facie ſecundam prætulerim, ubi ſalſa cum ironia Bildadum ridet, nihil in medium afferentem, quod ad rem faciat, quod prius intactum, aut ſibi æque, aut multo melius perſpectum non ſit, uti reliquo capite abunde docet. *Cujusnam*, addit, *ſpiritus ex te exiit?* id eſt, tene divino adflatu & impulſu cenſebimus tam pervulgata & ſupervacua ediſſerere? Confer Hilkijæ verba ad Michæam, 1. Reg. XXII. v. 24. conſulatur omnino ad h. l. Lud. Capelli nota.

Vs. 5. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.*] Vocum רפאים & יחוללו ambiguitas, mira ſententiarum hîc parit divortia. Vixque aliter fieri poteſt, quin per atram noctem navigantibus, varioque opinionum æſtu abreptis, mens incerta fluctuet, huc, illuc temere appulſa. חול ſonat *parturire*, *dolere*, *contremiſcere*. רפאים Scriptura ſacra uſurpat nonnunquam pro *gigantibus*, aliquando ipſi *occiſos* notat, alibi *mortuos* ſonat, & tumulo conditos, aut in orcum detruſos; quæ ſignificatio Pſalmo

nullis hoc verſu *rephaïm* ſunt *ſuperbi*, aquæ; *populi* &c. Ad quod ingenioſe nec minus vere exclamat Schultenſius; *Quid non allegoriæ fabricat officina, ubi ſemel fornacem exſufflavit vis imaginationis?* Quam tamen cenſoriam notam ipſe non effugit Vir eruditus, quando ſub *rephaïm*, Tartareas ſedes, damnatos ſpiritus, inferorumque ſupplicia intelligi vult, tanquam illuſtre Omnipotentiæ divinæ theatrum, a Jobo apertum. Imo ad loca Prov. IX. 18. XXI. 18. *In coetu rephaïm quieſcet, in profundis Orci eſſe ejus invitatos. Vides!* inquit, *Societatem orcinam, cui contubernales fiant, qui aquas furtivas & panem clancularium venantur.* Quin & doctiſſimum Vitringam reprehendit, quod Eſaiæ Cap. XIV. & XXVI. *mortuos* ſimpliciter, aut *vita ſolutos* ſit interpretatus; id nimis exile ducens, quam ut granditatem vocabuli, talemque ſcenam impleat. Sed priore loco agi pertendit de Rege improbo, in ſedem & regionem improborum deturbato. Secundi autem loci, Eſai XXVI. 19. ſic enarrat verba; *rephaim non reſurgent*, non participes futuros ſortis Sanctorum in luce; ſed terram infauſtiſſimo abortu ejecturam eſſe reprobos maledictione Dei onuſtos, non ad vitam, ſed ad mortem ſempiternam. Ibidem ſubnectit argutiarum neſcio quid,

circa חפיל, quod ipſi *abortum* notat, & נפלים quaſi *foetus cadivi.* Quod vero ad Prov. XV. 11. damnatorum ſedes intelligat, id lectoribus demum eodem ſecum præjudicio implicitis, perſuadebit. Sed, inquit, ſi *inferi* Vs. 6. Capitis noſtri nihil aliud ſint, quam quod latet ſub terræ ſuperficie, ſive ſint ſepulchra, ſeu loca alia profundiora, tunc Jobus *Ferme magno conatu nihil dixerit.* Ain tu? Nihil magni dixerit, qui divinum oculum ad imos uſque terræ receſſus, profundiſſimum ſinum, & abyſſum ultimam penetrare doceat? Aut neceſſe omnino fuerit, ſi Numinis majeſtatem atque immenſitatem concipere velimus, tetros damnatorum carceres & pœnas ſempiternas ante oculos ſtatui? At nunc audiamus Jobum. Is a Bildado adumbratam divinæ excellentiæ ὑποτύπωσιν peritiori penicillo perſequitur, vividioribuſque coloribus illuminat, adeoque ſe vinci ab illo non patitur, ut potentioris eloquentiæ fulgore obruat. Dicit igitur, eam Dei majeſtatem eſſe, quæ non cœlos tantum & ſidera impleat, ſed quæ Mundi univerſitatem, a ſummo ad imum, complectatur, ut prorſus nihil ſit, quod ejus oculos fugiat, poteſtati non ſubſit, vimque omnipotentem, & per abditiſſima penetrabilem, non perſentiſcat. Hinc

poë-

poëtico ſermone uſus, ait profundiſſima Oceani, quæque ejus inacceſſos gurgites incolunt, grandia cete; neque id tantum, ſed Orcum & Tartara, (quæ vulgaris opinio in ipſo telluris meditullio infra Oceanum collocat) manium & animarum ſedem, oculo Numinis perveſtigari, & ad ejus præſentiam contremiſcere. Sic porro verba interſtinguenda & convertenda exiſtimo. *Manes ipſi ſubtus tremunt.* הרפאים יחוללו מתחת (ad tertiam vocem athnach ponendum) *aquæ* pariter *tremunt cum incolis ſuis. Nuda eſt abyſſus coram eo, neque ullum orco eſt integumentum.* Sic Jovem ſuum depingunt Poëtæ, qui cœlum, terras, maria, ſolo nutu aut nictu concutiat; ad cujus vocis ſonum, Manes imi, & pallida Ditis regna contremiſcant. Haud ſecus Pſalmo CXXXV. 6. Jehova dicitur *facere quæ vult, in coelo, terra & omnibus abyſſis.* Simplicius quoque, Orcinis miſſis, inferorumque umbris & Manibus, abditas omnes creaturas, terræ mariſve ſinu incluſas, intelligere liceret. V. Apocal. XX. 13. Ubi conjunguntur *mare* & *orcus*. Cæterum de Orci aut Inferorum ſitu, ex veterum pervagata opinione, verſus orbis terraquei centrum, atque infra Oceanum conſtituto, deque æthereo limbo, intra exteriorem telluris corticem latente, exſtat ſingula-

gularis hypotheſis in Anglico diario, quod *Gentleman's Magazin* vocatur, *Julii* 1753. p. 312.

Vs. 10. *Terminum circumdedit aquis, uſque dum finiantur lux & tenebræ.*] Locus explanatu facilis, modo tecum reputes, quam ſibi Veteres illi Orbis delineationem finxerint. Nimirum hemiſphærium noſtrum Boreale ſolum, lumine ſolis colluſtratum putaverunt, quæ horizonti ſubſunt, omnia æternis tenebris damnantes. Tum ab ortu occaſuve nihil niſi maria immenſa volvi, quæ undique cœlum tangerent, quibuſque æthereus fornix incumberet. Unde apud Poëtas ex oceano, tanquam ex Thetidis thalamo, ſurgere orientem ſolem, ac rurſus occidentem Oceano mergi legimus. Eundem, Veteribus nempe communem errorem, erravit Virgilius. Sic enim ipſe Georg. Lib. I. v. 240.

Mundus ut ad Scythiam Riphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Lybiæ devexus in Auſtrum.
H c vertex nobis ſemper ſublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.

— — — — —

Illic ut perhibent aut intempeſta ſilet nox
Semper & obtenta denſantur nocte tenebræ,
Aut redit à nobis Aurora diemque reducit.

Sed creſcente, per iteratas obſervationes, Aſtro-

Aſtronomorum peritia, his veriora jam docet Manilius, Aſtronomicôn libro primo ſub initium. Ex antiqua autem illa, quam memoravi hypotheſi, limites lucis & tenebrarum in eo circulo videt poſitos, qui noſtrum hemiſphærium terminat. Quæ loca cùm mari undique circumſeſſa crederentur, hinc conſentanee, etſi minus vere, dicitur Deus, velut circino in ſuperficiem aquarum ducto, lucem à tenebris diſcreviſſe. Geminus plane huic noſtro locus Prov. VIII. 27. Neque obeſt, quod prius terram ſuper vacuo ſuſpenſam induxerit, על בלימה; quidni enim ſuper vacuo & nihilo, quæ aliud fulcrum non habet, quo innitatur, præter vim Conditoris omnipotentem? Ut propterea non opus fuerit rotundam cenſeri, circa quam ſol & ſtellæ gyros ſuos peragant. Hæc planiſſime Jobi mens eſt, quam Interpretes fruſtra vexarunt variis conjecturarum acuminibus. Adi tamen, quæ magno judicio Lud. Capellus hîc ad verſus 7. & 10. commentatus eſt.

Vs. 13. *Spiritus ejus ornavit cœlos.*] Schultenſiana verſio; *per Spiritum ſuum coelos diſſerenat*; connectens cum præcedenti verſu, tali ſententia: ſedato mari, compreſſis ſtratiſque fluctibus, procellis diſcuſſis, nubibus pulſis, ſerenitatem reducit;

quod per ſpiritum facit, id eſt ventum. Probabile ſatis. Verum quid hoc, dices, commune habet cum proſtrato aut transfixo Leviathane? Omnino, inquit, חוללה valere debet percuſſionem talium monſtrorum, ut eorum cadavera fluitantia, & in ſcopulos aut arenas ejecta, argumento ſint, procellas deſæviiſſe, atque tranquillitatem undis rediiſſe. At unde quæſo accepit, Balænas & ſimilia monſtra in tempeſtatibus interire ſolere? Quidni חוללה *peperit*, *formavit*, *produxit* æque ſonet, ac *confodit*! Quæ vero neceſſitas נחש בריח reddendi per ſerpentem *ominoſum* potius, quam *rectum*, *extentum* vectis inſtar, aut *tranſverſarium*. Nimirum id fit, ut allegoriæ lenocinanti litetur, & hoc textu rerum omnium recreatio, cœlum & terra nova, in conſummatione ſæculorum, cum aliquo colore quæratur, & unà Satanæ, ſerpentis antiqui, excidium. Hac allegorica intemperie niſi laboraſſet V.C., quicquid eam in aliis damnet, æque bene per שפרה, decorationem cœli, ſtellis ornati & diſtincti, quam aëris temperiem ſerenam intelligi poſſe cenſeret; neque ipſi in נחש minus proclive foret, *ſidus*, quam *piſcem* agnoſcere. Non temere tamen hanc allegoriam à ſe eſſe ſuſceptam, probare aggreditur ex initio grandiſonæ hujus oratio-

tionis; *ubi*, inquit, *Manes orcinorum, fulmine maledictionis æternæ percuſſos, itemque Orcum & perditionem in argumentum tremendæ majeſtatis divinæ tangi vidimus.* Hoc vero eſt allegoriam, alia allegoria, æque precaria, tueri. Non enim invenire promptum eſt in rephaïm fulmen maledictionis æternæ, nec inde illud fabricaveris, niſi *exſufflante fornacem imaginationis vi.* Rurſus ad verſum 14 luxuries illa allegorica ſe prodit. ומה שמץ דבר נשמע בו *& quam pauxillum eſt, quod de eo audivimus?* Ubi ipſe audacter, nec ſine aliqua adfectationis nota reddit, *& quid ſphærula verbi quod audivimus.* שמץ quippe illi ex Arabico ſonat proprie *lineam margaritarum.* At figurato ſenſu inde conficit ſeriem coeleſtium veritatum pulchre connexam, & tanquam gemmis & margaritis diſtinctam. Unde protinus exſculpit verbum revelationis, operibus naturæ oppoſitum. Quod amplius adſtrui docet ex ſequentibus. *Tonitru magnificentiarum ejus quis intelligat?* Dubitas & hæres, quî exinde revelationis verbum egredi poſſit. At aſſem para, Lector benevole! & audi ſane, quo pacto Commentator noſter id effectum det. Tonitru à nubibus pluvias pollicetur; idem & fulmina minatur. Hoc vero egregium nobis præbet emblema revelationis divinæ, quæ

promiſſis atque comminationibus conſtat. Hem! quid videtur? Nonne jam liquido confecta res eſt? I nunc, & benignam ingenii venam noſtro Interpreti gratulatus, ſimul uberes allegoriarum rivos, ex petroſa illa Arabia ſcaturientes, mirare.

IN CAPUT XXVII.

Totum hoc Caput qui ſic explanaverit, ut cum anterioribus Jobi Sermonibus, ſummaque intentæ cum Amicis Diſputationis in concordiam reducat, vatem hunc perhibebo optimum. Multa quidem experiuntur Interpretes, hypotheſes cudunt, tum ſenſus his congruos comminiſcuntur; deinde phraſes, voces ſingulas excutiunt, dialectorum opem invocant, ut aliquid tandem extundant, quod præconceptæ hypotheſi aliquatenus quadret. At quanto, ſatius, quanto ſapientius fuerat, loca, quæ commentando nos aperire poſſe deſperamus, intacta relinquere!

Vs. 2—4. *Vivit Deus, qui abſtulit judicium meum &c. quia donec ſupereſt halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem.*] Importune tanta ſolennitate concepti juriſjurandi formulam incideret, quam hîc Schultens interjectam vult, parentheſis, ſic reddens, *Ete-*

Etenim præſentiſſima adhuc mihi mens animi, Spirituſque Dei in naſo meo. Quorſum enim ſe ſaniſſime ratiocinari inculcaret Noſter? Quod ſatis auditoribus compertum erat. Jusjurandum ſequentibus dictis pondus addere aptum fuit; nec opus ipſimet pondus adſtitui affirmatione nova; ſe nempe mente ſedata locuturum, & quid juret, probe perſentiente. Perſpicis ſupervacuam cautelam, quæ graviſſimæ ſententiæ vim infringit & elumbat. Fateor ad proprietatem ſermonis initio verſus quarti, כי repeti debuiſſe, addito לא. *Vivit Deus, labia mea non locutura iniquitatem.* Cum è contra ſit אם, quod cum חי יהוה connexum, negationi æquipollet; ſed levis eſt ſcrupulus. Ejuſmodi enim ἀκυρολογίας apud S. Scriptores exempla non deſunt. Cæterum, *Spiritus Dei in naſo meo*, nihil aliud quam narium flatus, aut vita. Strenue nugantur, qui hîc afflatum Spiritus Sancti ſomniant, aut ſpiritualem vitam; quæ omnia nihil ad rem præſentem.

Vs. 8—10. *Quæ eſt enim ſpes hypocritæ, ſi avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus? Numquid Deus audiet clamorem ejus &c.*] כי ישל אלוה נפשו *cum extraxerit animam ejus*, è corpore ſcilicet; quod violentam mortem deſignat, cui parum reſpondet remiſſum illud & flaccidum Vulgati: *non liberet.*

beret. Ex his alterius vitæ lux tanquam inter nebulas emicat; etſi S. Scriptor, utpote propoſiti tenax, ſtudio eam nuſquam diſertis verbis expreſſerit. Dum enim in morte omnem ſpem hypocritis adimit, neceſſe eſt aliquam cæteris relinquat, ex animo virtutem colentibus. Cæterum hos tres verſus Schultenſius miſere vexat & diſtorquet, quo antecedenti ſermoni, de omnimoda felicitate improborum, conſentanea docere faciat. Hac in id uſus machina, ut quæ interrogatione negandi vim habebant, in meram adfirmationem convertantur. Parum cogitans, quam abſurda, & ultra modum exaggerata Noſtri ori indat. Sic enim dicet hypocritam, in extremis vitæ, ſpe fiducia plena in Deum recumbere; quod Deus *eliquaverit*, id eſt liquidam, defœcatam, tranquilliſſimam reddiderit *animam ejus*. מה תקוה non abſolute negat, inquit, ut volunt Interpretes, ſed comparate; quo innuitur hypocritam habere expectationem & quidem ex Religione natam, quatenus eam ore colens, non corde, Deum ſibi propitium credit firmiterque ſibi perſuadet, eo quod perpetua ipſi felicitas divinitûs contingat. Iterum juxta hanc interpretationem dicet Jobus, *clamorem hypocritæ*, quando venerit anxietas, *à Deo audiri*, hypocritam *in* *Omni-*

Omnipotente deliciari, eumque omni tempore *invocare*. In quas anguſtias Interpretem redactum oportet, qui huc delabitur! Fruſtra hæc contendit ſano ſenſu dici potuiſſe, & cum hujus capitis verſu 7mo, iiſque quæ à 13mo ad capitis finem legimus, perpetuo filo, connectere ſatagit. Utinam vero Enarrator diligentiſſimus a vitio ſibi caviſset, quod pagina ſui Commentarii 729. meritò culpaverat, dicens, *per eſſe lubricum & intutum, ut primo hypotheſis jaciatur, ad quam deinceps concepta analyſis regat & moderetur explicationem verborum & ſententiarum. Cùm ex verbis ritè enucleatis & expenſis, juſta demum analyſis effloreſcat, quæ theſim jam ipſa trahat, non autem ab ipſa trahatur.* Hic certe Jobi verba obluctantia, tanquam uncinis trahit Cl. Schultenſius in ſuam hypotheſim. Nec quenquam fore arbitror præjudicata opinione vacuum, qui non toto hoc capite hypocritarum poenas, ipſis juſto Dei judicio infligendas, enarrari ſentiet. Sed ajes, nonne Jobus hoc pacto ſibimet obloquetur, & propriam ſic cauſam jugulabit? Qui bonos in miſeriis verſari, quovis autem ſcelere contaminatos florere, & hujus vitæ bonis ad extremum uſque halitum adfluere contenderat. Reſpondeo, diſtinguendum hoc loco pauliſper. Nempe huc uſque Jobus con-

contra obtrectatores Treſviros, qui ipſum ex infortuniis ſuis occulti ſceleris reum peragebant, pugnavit, ipſa teſte experientia, pios in hoc mundo ſæpe adfligi; ſæpe impiis contra fortunæ blandientis auram indeſinenter adſpirare: quod ſatis fuit evertendis criminationibus amicorum. Sint enim quidam probi miſeri, quidam improbi felices, concidit plane vis argumenti in Jobum intorti. Hæc ex vi rapientis adfectus, & poëticum in morem exaggerata, quaſi bonis nunquam bene eſſet, ſceleſtis nunquam male, non ſtricte & rigide ſumi debent, ſed quodam temperamento molliri, & limitibus certis circumcludi. Nunc Jobus, ne Amici ex dictis ſuſpicentur, eum nuncium virtuti remittere velle, & in impiorum, quibus quælibet commiſſa impune abeant, imo omnia ex votis fluant, caſtra tranſire paratum, vehementi obteſtatione obviam it huic ſuſpicioni, declarans ſe in Religionis cultu ad extremum uſque perſtiturum, quantoque hypocritas odio habeat teſtatur luculentiſſime, quævis dira ipſis ominatus. Vide verſum ſeptimum, quem nemo Interpretum felicius, quod ſciam, enarravit ipſo Schultenſio. *Sit ut impius inimicus meus &c.* Ibi oſtendit Vir ſanctiſſimus, inquit, quanto odio ardeat impietatis; quippe qui vel ſuſpicionem ejus in

in ſe conjectam toto pectore deſpuat; diriſſimam omnium imprecationum hanc numerans, ut quis ſimilis fiat improbo. Sic prius Vavaſſor quoque expoſuerat, in ſua paraphraſi.

Vs. 19. *Dives cum dormierit nihil ſecum auferet: aperiet oculos ſuos & nihil inveniet.*] Schultenſius, propriæ quidem hypotheſeôs filum tenens, nec unquam dimittens ê manibus, vertit; *Dives cubabit, ſed nihil colligetur: oculos ſuos aperit & nullus eſt.* An autem verum arripuerit ſententiæ diſputationiſque Jobeæ filum, alia res eſt. Hypotheſi Schultenſianæ id incumbit præſtare, ut de exitio hypocritarum ea promat Jobus, quæ ſuperiora dicta non convellant, ſed partim confirment, partim liberent à ſenſu irreligioſo. Ad hanc normam exigenda ipſi fuit & amuſſitanda totius capitis enarratio. Hoc opus, hìc labor. Cui impenſe favit verborum ישכב & יאסף anceps intellectus. Cum igitur apud animum ſtatuiſſet, de poenis, quæ poſt mortem hypocritis exſpectandæ veniunt, Jobum nunc loqui debere, ad tales poenas facili negotio hujus verſus ſenſum accommodavit; qui ſeorſim ſumptus à reliquis, illuc ſe duci utcunque patitur. Sed cætera capitis non adeo molliter eodem ſe flectunt, ut vidimus. Addo, ſi futu-

futuræ vitæ poenas nunc commemoret, quò ſe prius dicta, de perenni improborum in hoc mundo felicitate, minime convellere oſtendat, & ſimul tamen rectum de virtute & Religione ſenſum retinere; tanti ponderis illud argumentum eſt, ut ſeorſim tractare debuerit, nec temere mentionem alius generis malorum, quæ hypocritæ poſteritatem peſſum dabunt, admiſcere cenſendus ſit. Talibus enim neceſſe cæterorum vim omnem elidi, atque propoſiti totius ſummam obſcuriorem fieri. Ne jam repetamus, quæ à verſibus ſupra 8vo. ad 1cmum. leguntur, ſortem improborum non felicem, ſed adverſam; adeoque poenas ipſis in hodierna vita infligendas continere. Ergo Clerici interpretatio omnino tenenda. Diviti ſcilicet, quando cubitum it, bonorum ſuorum integram conſtare poſſeſſionem; quando vero mane expergiſcitur, nil ex iis ſupereſſe, eumque ſe omnibus exutum & ſpoliatum videre. ישכב ex proprietate vocis redditur; *it cubitum*, *ad ſomnum in lecto ſe componit*, cui ex oppoſito optime reſpondet עיניו פקח *aperuit oculos*, è ſomno mane excitatus ſcilicet; *A ſon réveil il ne trouvera rien*, pervulgata loquendi forma. נאסף autem non minus ſonat *ſublatus fuit*, quam *congregatus* aut *receptus*. Profectò ad Schul-

ten-

tenſii ſenſum, *non colligetur*, pro, *nihil ſecum auferet de bonis præſentis vitæ*, valde tractum videtur & contortum. Aut ſi alia etiam via reddere aggrediaris, *nihil factus colligetur ad plures*; de morte עריץ *violenti* intelligens, id quoque parum rotundum & lævigatum apparebit. Denique ſi hæc verba, *oculos aperit & nullus eſt*, ſic interpretari velis; *uno momento ſe periiſſe, æternumque periturum eſſe videt, & jam reapſe experitur*; patet, te ex præcepta hypotheſi ſenſum orationi adfigere, non ex neceſſaria verborum ſententia, veram loquentis Jobi theſin elicere. Namque איננו *non eſt*, ipſius de qua ſermo fit, rei exiſtentiam tollit, aut ſaltem amplius apparere negat. At dives, qui poſt mortem oculos aperire dicitur, ſecundum hanc interpretationem, neutiquam evaneſcit, aut ſibimet derepente fit inconſpicuus; contra ipſe, quantum ad animam ſpectat, tum maxime ſe ſentit exiſtere, ſibimet nimium quantum præſens & manifeſtus, licet corpore nudatus, opibuſque omnibus & pompa, quæ hodiernum hujus vitæ ſtatum comitabatur, exutus ſit. Fruſtra eſt Schultenſius, dum Parabolam Lucæ XVI. in ſuam rem vertit. Ibi equidem legitur dives, ex imo ᾅδῃ ſublatis oculis Abrahamum adſpexiſſe; ſed Chriſtus non addit,

eum

eum non amplius fuiſſe, ואיננו; non dicit, *vidiſſe ſe factum nihil*; quod impium ſimul atque abſonum quid ſonaret; penitiſſimum ſcilicet animæ divitis interitum, *annihilationem*, ut cum ſcholæ barbarie loquar, quam ipſe propriis oculis uſurparet.

Notio illa & locutio *æternum pereundi*, ut ſempiternæ miſeriæ ſignificentur, ex Evangelio demum hauſta, nunquam voci איננו ſubeſſe probabitur.

IN CAPUT XXVIII.

Vs. 3. *Tempus poſuit tenebris.*] In hac profunda caligine palantes & palpantes huc illuc Interpretes conſpicias, ut ſenſum reperiant, qui ſenſus tamen obvius & ante pedes. *Poſuit homo* (is enim, ut ex tota ſequentium ſerie patet, ſubintelligendus) *poſuit terminum tenebris* קץ שם לחשך (Male קץ οἱ O, τάξιν, Vulgatus *tempus*, reddiderunt, cum notet *finem*, *terminum*, *rei extremitatem*) id eſt, abbreviavit, in anguſtum coëgit, lampadibus nimirum, quæ horrorem illum ſubterraneæ noctis in fodinis diſcutiant, & metalla eruentibus præluceant. Ut nullatenus opus ſit de umbra Telluris conica, ejuſque apice, axe, baſi dimenſis ab Aſtronomis, cum celeberrimo Nieuwentydt ſomniare, quem uti, meri-

merito ſuo, tanquam arcanorum Naturæ indagatorem acerrimum ſuſpicimus, ſic minus idoneum cenſemus Scripturæ Interpretem.

Vs. 20. *Unde ergo Sapientia venit, & quis eſt locus intelligentiæ?*] Univerſo hoc Capite Sapientiæ laudes exſequitur, docens primum, talem ejus eſſe præſtantiam, ut pretioſiſſimis rebus, quas hominum induſtria omni ope exquirere, ac improbo labore ex imis terræ viſceribus eruere nititur, antecellat. Addens ſecundo loco, non minus abſconditam eſſe & inveſtigatu difficilem, quam optabilis per ſe eſt, & ſupra omnem æſtimationem poſita. Præclarum autem illud Sapientiæ aut veræ Religionis encomium, etſi tanquam πάρεργον ultra ſeriem orationis excurrere videtur, minime aberrat à ſcopo, neque eſt, quod hîc de nexu admodum laboremus. Nempe Jobus in eo erat, ut omnem ſuſpicionem irreligioſi animi à ſe depelleret, cui anſam præbuerat ſuperior circa Bonorum & Malorum conditionem diſputatio. Id jam luculenter facere inceperat præcedenti Capite, quo hypocritarum pœnas deſcribit, & exitium miſerum; quibus ſcilicet, ex veri boni contemptu, ſola hujus mundi caduca bona ſunt in pretio. Nunc quod-

nam ſit ſummum illud Bonum (*a*), quæ vera Sapientia mortalibus cæcis incognita, quave via ad illam contendere detur, demonſtrat: *Undenam Sapientia, aut quæ ſedes intelligentiæ?* Per ſapientiam, ne intellige illam, quæ Deo eſſentialis connata & intima. Neque magis divinam illam Hypoſtaſim, quæ Proverbiorum Cap. VIII. חכמה, Johannis Cap. I. λόγος vocitatur; de qua multi Interpretes ad noſtrum locum mira τεραλέυουσι. Quid enim? qua quæſo ſermonis proprietate, aut ſaltem ratione probabili, Deus perhibebitur ejus Sapientiæ viam noſſe, & ſcire ubi ſit, quæ Deo congenita, ipſiſſimus Deus eſt? Torquent ſe Interpretes, ſudant, anhelant, ut id quomodocunque expediant, ſed fruſtra. Quidni autem oculos retorquent ad ultimam capitis clauſulam, & colophonem veluti ante dictorum? *Et dixit homini; ecce timor Domini Sapientia* &c; rem manifeſtam perſpicient. Scilicet agi toto capite de Sapientia, non Dei ipſius, aut quæ apud Deum reſidet, ſed hominis, quam nempe, Deo monſtratore, acqui-

(*a*) Scite Boëthius de ſummo Bono haud temere hominibus perveſtigando: *Sed quonam lateat, quod cupiunt, Bonum, neſcire cæci ſuſtinent.* Conſol. Phil. lib. III. metro 8. Vid. locum integrum, ubi, ſi Chriſtianus fuit, ad Noſtrum reſpexiſſe putem.

quirit, quæque ab ipſo revelata, ipſius quoque donum eſt. V. Jacobi Epiſt. Cap. I. Vs. 5. Ea eſt, quæ inſigni proſopopœïa hîc inducitur, tanquam à mortalium oculis longe ſecluſa, atque immenſum diſſita, imò eorum pedatui inacceſſa, acerrimiſque conatibus imperveſtigabilis, quamvis terrarum mariumque abditiſſimos ſinus eorum labor impiger, vigilque induſtria permeaverit. Quiſquis troporum indolem habet perſpectam, cuique Orientalium mos cognitus, figuras ultra modum nobis conſuetum tendentium, & continuata imaginum ſerie ad intentum ſcopum ſuſpenſam Lectoris mentem deducentium, is inoffenſo pede totum caput pertranſibit, neque miſera ſectabitur tot Interpretum acumina, qui hic nodum in ſcirpo paſſim quærunt, prout ipſis ſolenne eſt. Quorum, ſpeciminis loco, nonnulla hîc apponere, neque inutile forte, neque ingratum Lectoribus fore arbitror. Sic, quod verſu 13º. legimus, Sapientiam abſconditam oculis hominis viventis, ne qua vel minima vocula deſcriptionis figuratæ ſenſu ſuo myſtico careat, *viventem hominem* interpretantur, hominem carnalem, mundo & ſenſibus deditum, quo ſenſu Paulus ait 1. Cor. I. 21. in Sapientia Dei mundum non cognoviſſe Deum per ſa-

pientiam. Quando *avibus cæli* additur eam incognitam, per aves intelligunt Angelos, aut ſi aliud mavelis, celſa ingenia quæ contemplationi operam dant, & perniciſſimo volatu ardua petunt & cœleſtia; ut imprimis faciunt Aſtronomi, queis *cura*, ut Poëta ait, *in domos ſuperas ſcandere.* Circa *perditionem* autem & *mortem*, quam feſtiva habent illi commentatores, & à longe quæſita! Nam quando dicit Jobus verſu 22°. eas *aliquid inaudiviſſe de ſapientia*, tum de *nihilo* creaturarum ethice admodum diſſertant, unde primum homo ad ſapientiæ cognitionem gradum faciat. Nempe è cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν. Alii *nihilum* illud bifariam accipiunt; de loco, & conditione rerum. Si ad locum applices, deſignabit ſpatia illa vacua ante Mundum conditum, clamitantia, ad ſe uſque penetraſſe virtutem Dei exſecutricem Sapientiæ. Si ad conditionem rerum, eæ ut ex nihilo ſunt & vivunt, ita teſtantur Dei Sapientiam. Ubi de tranſitu illo infinito à nihilo ad eſſe, validiſſimo, uti cenſent, Sapientiæ, (melius Potentiæ dixiſſent,) argumento, effuſis habenis philoſophantur. Quæ εὑρήματα calculo Schultenſiano comprobari meruerunt, tanquam *ad ſubtilitatem ſummam elimata, eademque cum ſcopo & ſerie ſatis conjuncta.* Sunt

Ovid. Faſt. lib. I. 298.

Sunt qui *mortificationem* inibi quæſiverint, qua ſola Chriſtus, qui vera eſt Sapientia, inveniendus. Alii de mortuis, qui interrogati faterentur, ſe audiſſe quidem multos ſermones de Sapientia, ſed nunquam ad plenam & perſpicuam ejus cognitionem pervenire potuiſſe. Alii Dæmones, & (a) manes damnatos huc accient; quippe ſedem incolentes omnium à ſapientia remotiſſimam, de quâ nihil ſe ſcire & habere, niſi nudam aliquam famam, quæ vix ad aures penetrarit, à ſuperioribus ad ipſos delapſa. Quod longe aliter accipit Schultens. „ Sive „ enim mortem & perditionem ſumamus, „ inquit, de diſſolutione animæ & cor- „ poris, cum putrefactione in ſepulchro; „ ſive etiam mortis æternæ horrores aſſu- „ mamus, utrumque tremendam apud „ Deum majeſtatem eſſe clamans, ejus „ religioſum cunctis metum incutit, qui „ Jobo teſte verſu 28. vera eſt ſapientia; quo V. Cl. exiſtimat *nihil rotundius aut grandius dari poſſe.* Ne vero bicipitem de Inferno expoſitionem mireris, ſcindunt in con-

(a) Cum iis facit eruditiſſimus Theologus *Joſeph Mede*, qui contendit ſub V. T. & quidem ante Captivitatem Babilonicam, damnatorum ſedes per קהל רפאים *congregationem gigantum* indigitari, quæ inſequentibus temporibus *gehenna* nuncupata eſt. Vid. Diſc. VII.

contraria ſe Interpretes, de auditionis hujus modo. Aliis enim minuit, aut negat cognitionem, quaſi fateantur Mors & Perditio, ſe fando tantum aliquid de hac rerum pulcherrima percepiſſe: aliis inferre videtur cognitionem propiorem & certiorem. Sunt tandem, quorum acumen haudquaquam prætermittendum; qui perditionem & mortem velint eſſe *materiam primam*, quæ expers omnium formarum, neceſſe habeat, forma adveniente, per Dei Sapientiam perfici. Hoc ergo modo divinæ Sapientiæ famam ad eas penetraſſe, quod ſenſerint Dei virtutem, quæ rudi & informi materiæ formam conciliare valeat. Elige nunc ex ingenti ſententiarum acervo, quod magis adlubuerit. Aut potius, ſi ſapis, vide errorum Mæandros & Labyrinthos infinitos, quibus ſemet allegorica methodus implicare amat. Quo enim Rationis nodo mutantem Protea, ſeque in omnia miracula rerum mutantem, conſtringas? Fefellit Interpretes pleroſque, tum figurati ſermonis indoles, & circumductæ per ambitum ingentem Proſopopœïæ mens; tum id præſertim quod Sapientia divina de ſemet ipſa prædicat, Proverbiorum Capite VIII. verſibus præcipue 27—30. quem locum, huic noſtro adfinem & geminum immerito crede-

diderunt. Hic vero, ut id obiter moneam, fons Sacræ Scripturæ παρερμηνειῶν uberrimus; falſa nempe ὁμοφωνίας & ὁμονοίας exiſtimatio, in locis diſcrepantis, revera, ſententiæ. Si enim propius advertas, apud Solomonem Sapientia ſe Deo Mundum fabricanti conſiliariam veluti, & adjutricem adſtitiſſe prædicat: apud Jobum autem dicitur, eo tempore, quo univerſitatem rerum condidit, diſpoſuit, & digeſſit Deus, tum maxime eam Sapientiam, de qua ipſi ſermo eſt, reperiſſe, & manifeſtam feciſſe; quæ duo longe inter ſe diſcrepant. Priori loco de illa Sapientia agitur, quæ ipſi Deo ineſt, aut de hypoſtaſi τῦ λόγυ; cum in poſteriore agatur de eo, quod veram hominis Sapientiam, conſtituit, hoc eſt de Religione. Hanc auro contra æſtimandam, aut ejuſmodi potius, cui omnes undecunque collecti theſauri æquiparari nequeant, latere homines, arcanorum licet exploratores acerrimos; hanc oculos, in cæteris, lynceos effugere. Nempe ἐσχηματισμένως Sapientia hic inducitur, tanquam perſona quædam, ſedes incolens mortalibus ignotas, & niſi ducem viæ Deus ſe præſtiterit, inacceſſas. Non patet volucribus, quamvis volatu quaqua verſum ferantur, & ſumma æque petant atque ima. Figuræ

hic τὸ πρέπον ſervari memineris, eamque, prout allegorici ſermonis lex poſtulat, continuari: ne forte dicas; quid aves cœli ad Sapientiam? Nempe id reſpondet ei, quod dictum ſupra verſu 7mo. noſtri Capitis, ubi de Sapphiris agebatur & pulvere aureo, *ſemitam ignoravit avis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis.* Non magis pervia eſt hæc Sapientia hominibus ipſis, addit Noſter, quibus adeo nihil arduum eſt, ut in (a) excavatæ terræ penitiſſimis viſceribus aurum precioſoſque lapillos, per vias ipſis avibus incognitas, exquirant. Vide ſupra Vs. 7. *Perditio & mors dicunt, auribus noſtris audivimus auditionem ejus.* Senſus verborum proclivis; qui eſt, Sapientiam procul habitare ab hominibus, ſedeſque à noſtris diſſitiſſimas occupare; ſic ut in profundiſſimum terræ bara-

(a) *Itum eſt in viſcera terræ, quaſque recondiderat ſtygiiſque admoverat umbris, effodiuntur opes, irritamenta malorum* Ovid. Metam Lib. I. v. 139. *Perſequimur omnes terræ fibras, vivimuſque ſuper excavatam, mirantes dehiſcere aliquando aut intremiſcere illam. Ceu vero non hoc etiam indignatione ſacræ parentis exprimi poſſit, in ſede manium opes quærimus, tanquam parum benigna fertilique, qua calcatur.* Plin Hiſt. Nat. lib. 33. Procemio. Quem ultimum locum, etſi vulgo notum & deculcatum adſcribere hîc libuit, tum quoniam Noſtrum apprimè illuſtrat, tum ut obſervem ſimul, quanta ſit figurarum illecebra, quando præſertim moratæ ſententiæ adjunctam commendationem habet, ut inde Hiſtoricus & Philoſophus ſubito in Poëtam tranſeat.

barathrum ſeſe penetrantibus, tenuis de ea quaſi è longinquo rumor, aut levis ſuſurrus ad aures accidat. Id clare innuit tropus, nec quicquam aliud ibi videtur quærendum. Idem jam dixerat Vs. 14. *Abyſſus ait, non eſt in me, mare quoque ait, non eſt mecum.* Confer infra, XLII. 5. Vim tamen tropi atque indolem minus percepiſſe eos apparet, qui ſequentia; *Deus intelligit viam ejus* &c uſque ad Capitis finem, faciunt eſſe ſermonem τῦ Abaddon, Mortiſque, inquirentibus reſpondentis. Verba omnino ſunt ipſius Jobi, magnificum ſuum משל continenti filo pertexentis. Quid doceat, haud ambiguum. Nimirum Religionem, quæ pietatem in Deum, & ſanctiſſimas virtutis omnis leges tradit, veram demum eſſe hominis ſapientiam. Hanc quidem Adamigenæ per ſe ignorant, affectibus pravis præjudicatiſque erroribus occæcati; & in alia omnia, quibus inaniter ſe fatigant, inconſulto impetu rapti; Vid. infra quid dicat Elihu, XXXV. 10; ſaltem pertenui tantum ejus afficiuntur ſenſu. Satis utique notum, quam parum in hac re conatibus intenſiſſimis, humana Philoſophia profecerit. Hac ſapientia tamen Deus Opt. Max. jam à creatione Mundi homines impertiit, quam in ipſorum uſum

R 5 para-

paraverat. Hanc iis partim ex ſtupendis Naturæ operibus, Rationis lumine, conſcientiæ inſtinctu, manifeſtam reddidit; partim vocali Oraculo Protoplaſtis revelavit. Atque illa eadem Religio condendi Mundi finis fuit, tantaque arte diſponendarum Univerſi partium. Quis enim, niſi creaturæ exiſterent intellectu præditæ, immenſo huic Naturæ ſenſibilis machinamento uſus? Quidve interfuiſſet animalia creari Rationis & intelligentiæ capacia, niſi per Religionem finis ipſis ſtatueretur, Dei tum bonitate, tum ſapientia, tum ſanctitate dignus? Divina hîc ſimul celebratur benignitas, quæ cœcitatis noſtræ miſerta, facilem nobis ad ſalutarem hanc ſapientiam aditum paravit; ut minime opus nobis ſit in cœlos adſcendere, aut in imos maris gurgites nos immergere, ut theſaurum illum conſequamur. Confer Deut. XXX. 12. Rom. X. 6—8. Ad ſuperiorum confirmationem notandum 1°, מות Vs. 22. ſonare, non *mortem* ipſam aut *mortuos*, ſed mortuorum ſedes, junctumque cum אבדון, cogitationi ſubdere loca abditiſſima, & terræ profundiſſimo ſinu demerſa; unde hîc nullus locus mortuis, qui, dum viverent, ſapientiam ſe venatos, ſed non adſecutos faterentur, ex mente Cl. Clerici. Mani-

Manifeſtum enim, eadem aliis verbis iterari, quæ jam dicta verſu 14to. de abyſſo & mari. 2do. Non agi, prout vult Crinſos, de Sapientia, quam Deus in operibus, tum Naturæ, tum Providentiæ exſerit, quæ ſit hominibus impervia. Frigide enim admodum diceretur Mundi opifex, qui per illam, quâ pollet, quæque ipſius eſſentiæ inſita & concreta eſt, Sapientiam, cuncta adminiſtrat, *viam noſſe*, quæ ad eam ducat, aut *ſcire, ubinam lateat*; Vs. 23. Præterea non ea adeò latitat, humanis mentibus inacceſſa, quin tamen radiis undique emiſſis refulgeat, nec obſcuris veſtigiis ſe prodat. Teſtis locuples ipſe Jobus, ſup. XII. 7—9. *Nimirum interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Dei fecerit?* Qui ſibimet ipſi nunc diſertis verbis adverſari haudquaquam credendus eſt. Confer Pſ. XIX. Vs. 2. Rom. I. 20. Adeo S. Scriptorum conſenſu illud argumentum, ex naturæ operibus petitum, tanquam palmarium laudatur, quicquid id elevent, & contra cavillari audeant hodierni Philoſophaſtri, piſcibus ipſis & jumentis inſipientiores. Senſum noſtrum firmat ſequens verſus. Nam quum ibi dici-

dicitur Deus obtutu ſuo ultimas terrarum oras, cœlique immenſa ſpatia pervadere, id neutiquam Deo propriam Sapientiam ſpectat, quæ ipſi cum ſit domeſtica & intima, minimeque extra ſe quærenda; ſed eam, quæ ad homines pertinet, fruſtra tamen ab iis proprio marte quæſitam. 3tio. Denique verſu 25to. לעשות לרוח משקל nihil neceſſe eſt verti; *ut faceret ventis pondus*; ſed ex præpoſitionis vi æque bene redditur; *quum faceret*; commiſſura facta cum ſequentibus; *tum dixit homini* &c. tali ſenſu; jam inde à primo mundi ſatu, rerumque primordiis Deus homini, Religione inſtituta, veræ ac ſolidæ ſapientiæ lumen impartiit. Si priorem interpretationem ſequaris, id ei incommodi ineſt, quod à divina ſapientia ad humanam præcipiti ſaltu tranſiliatur. Quis enim, quæſo, erit nexus? Numini explorata ab omni ævo fuit ſua ſapientia, quâ res cunctas exquiſita arte, pondere, numero, & menſura fabricatus eſt; dumque hæc omnia architectaretur, docuit hominem, qua potiſſimum in re ipſius hominis ſapientia conſiſtat. Vides quam confragoſa hæc ſint, & hiulca. Noſter ex adverſo enarrandi modus orationem dat æquabilem, quæ continenti ſerie fluit, & ſic procedit. Ab rerum initio, dum Mundum adſpectabi-

lem

lem conderet Deus, tunc Religionis ſancta jura, legeſque poſuit, quas ſtatim hominibus patefecit. Quaſi Jobus ſic loqueretur : En tibi Sapientiam illam, hominibus veſtigantibus imperviam, cujus ſedem unus novit Deus, quam libratiſſimis rationibus conſtituit, jamque ab origine prima hominum generi revelavit. Eam miſeri mortales cum ex animis eraſiſſent, utpote quos Conditoris ſui ceperat oblivio, propriæ mentis ductu quæſituri, in avia ſeſe induerunt, & irremeabiles labyrinthos, irrito labore. Qui delubra igitur, & edita Templa ſapientiæ adire cupit, atque ad eam penetrare ſeſe, ad Creatorem ſuum redeat oportet, & primævæ revelationis veſtigia relegat. Tum pernoſcet, timere Deum, & recedere à malo, eam veram demum eſſe Sapientiam. Ut nunc univerſi capitis ſummam paucis contrahamus, exhibet 1mo. laudes Sapientiæ, quam rem unam cæteras omnes valore ſuo & dignitate antecellere, late diducta oratione, cimeliorumque maximo hominibus in pretio habitorum longa enumeratione, vincit. 2do. Eandem humanæ induſtriæ imperveſtigabilem, oſtendit. Ubi itidem amplo deſcriptionum circuitu intentum adſequitur. Tandem inducturus, tertio loco, ejus ab uno Deo notitiam peten-

petendam, quæ nempe in Dei cultu, & virtutis notitia ſita ſit. Miram, profecto, vim habet hæc Orientalium Scriptorum methodus, qua rem intentam longa circuitione differunt, fallentes Lectoris animum, quaſi à ſcopo aberrarent, ut tanto majori pondere eum percellant, eique altius inſigant ſua monita. Paris eſt indolis ſplendida illa comparatio ſup. Cap. VI. Vs. 15—21. in infidos amicos inſtituta, ubi luxuriem nonnullam forte reprehendat moroſior Criticus. Tales apud Homerum occurrunt innumeræ, quas inſcite nimis carpſit Car. Perraltus, *Syrmaticas* vocans, quaſi longum poſt ſe ſyrma traherent: dum revera iis vis quædam & venuſtas propria ineſt, ut egregie oſtendit Boilojus obſervatione critica in Longinum VIta. Cui eam ob cauſſam merito idem Perraltus vapulat. Nec abludit ab eo, quem memoravimus, figuratæ orationis ambitioſo circumductu, viſio nocturna, quam ſibi oblatam memorat Eliphaſus, ſupra IV. 12 &c, & tam operoſe & magnifice deſcribit, in id tantum ſpectantem ut Numinis majeſtas, ſecretaque ab omni creaturarum conſortio puritas & ſanctitas adſeratur. Niſi forte malis, viſionem ipſi revera oblatam referri; cui opinioni lubens acceſſerim. Prolatis exemplis ſuperad-

peradjici poteſt Oda Horatiana, quæ Epodôn libro ſecunda exſtat. *Beatus ille qui procul negotiis*, quæ nativam ruris deliciarum picturam prima fronte exhibet, ac ruſticæ vitæ ſtudia & tranquillitatem unice complecti videtur; cum verum Poëtæ intentum in fine demum ſe prodat; deridendi ſcilicet, in Alphii fœneratoris perſona, quæſtuoſorum hominum vanitatem, qui, dum libera otia, & quietem anhelare præ ſe ferunt, paucorum dierum ſpatio ægre elapſo, ad negotia iterum & quæſtum ultro revolvuntur.

OBSERVATIO
OMISSA
IN CAPUT XXII. VS. 21.

De tranquillitate animi, unde ea ſit petenda.

A*Cquieſce igitur ei, & habeto pacem.*] הסכן־נא עמו ושלם ad verbum; *conſueſce quæſo illi, & pace fruitor.* Male Vulgata הסכן reddit per *acquieſce.* Radix in Kal ſignificat *utilem eſſe*, *utilitatem aliquam præſtare* vel *percipere.* Ut hoc ipſo capite הלאל יסכן גבר. *An Deo utilis eſt vir?* At in Hiphil eſt *explorare*, *periculum alicujus facere.*

tere. Unde traductum ad ſignificationem *aſſueſcendi* alicui, velut amico, quem uſu novimus, cujus voluntatem & fidem exploravimus. כל דרכי הסכנתה Ps. CXXXIX. 3. *Omnes vias meas periclitatus es.* Ubi male iterum Vulgatus, *prævidiſti.* Sed ut vocibus omiſſis, ad rem ipſam properemus, Obſervandum inprimis locutionem *Deo conſueſcendi*, quæ alias temere non occurrit in Scriptura, utut ſingularem, cum ſatis tamen ſit in ſe perſpicua, tam ubere ſenſu prægnantem eſſe, ut nobis immenſum commentandi campum aperiat, & pro eruditis quiſquiliis, quæ tanto ſæpe ſtudio venatur Criticorum induſtria, rerum, quæ cor ſuaviter afficiant, ampliſſimam præbeat ſegetem. Videamus igitur primum, quid importet illud, *Deo conſueſcere.* Deinde quis ex illa conſuetudine & familiari conſortio fructus capiatur, præſertim in adverſis, quo potiſſimum reſpicit ſermo Eliphaſi.

I. Ut tam optanda coaleſcat homini cum Deo familiaritas, ante omnia oportet Deum noſſe. Talem autem notitiam minime hîc volo, qualis hauritur ex Scholis Philoſophorum, circa divinæ naturæ ἀπόῤῥητα otioſe diſputantium; unde naſcuntur theoremata ad mores fingendos nihil ſpectantia, quæque, niſi quod acumen

men ingeniorum exercent, aut etiam venditant, parvo cæteroquin uſui ſunt. Parum ex. gr. ſcire refert, quodnam diſcrimen interſit permanenti Creatoris & neceſſariæ exiſtentiæ, à fluente & ſibimet ſuccedanea duratione creaturarum; aut quo pacto eſſentia divina cœlos & terram impleat, abſque ulla ſui diffuſione, aut diſtinctione partium; aut quî conveniat, Deum poſſibilium omnium naturas diverſas in perfectionis ſuæ ſimplicis infinitate contemplari. Nihil juvat quærere, quî ejus immutabilitas cum decretorum libertate, aut operationum multiplicium varietate, conſiſtat; quo apud illum futurorum contingentium ſcientia, aut ea, quam mediam vocant, fundamento nitatur. Figunt talia crucem ingeniis, curioſitatem paſcunt, ſæpius alunt ſuperbiam; nec quicquam ad ſolidæ pietatis incrementum adferunt. Inquiens igitur id nobis primum officii incumbere, ut probe Deum noſcamus, cognitionem practicam intelligo, quæ nobis eum exhibet, qualis erga nos homines habet ſeſe. Creatorem videlicet, vitæ datorem, & bonorum, quibuscumque fruimur, largitorem munificentiſſimum. Eundem juris omnis fontem, & legum nobis poſitarum latorem ſanctiſſimum. Rurſus factorum à nobis ſu-

premum judicem, & cognitorem integerrimum. Teſtem porro eorum, quæ ubique geruntur, oculatiſſimum. Numen profectò ignorat, cui illud nihil aliud videtur eſſe, quam cæca quædam vis, univerſitatem rerum fatali ordine continens, quæ mundi machinam inſtruat, molem agitet, & magno, ut loquitur Poëta, ſe corpori miſceat. Tali ſe inſipientis Sapientiæ conſulti, per me licet, cum Lucretio, Virgilio, & ſuo patre Epicuro, jactent Theologia. Deus perfectiſſima mens eſt, ut à corpore diſcreta, & corporeo omni contagio immunis, ſic cæteris mentibus, quarum *ex lumine ſuo accendit lumen*, quas complexu fovet, Spiritu pervadit & vegetat, intime præſens: quæ vitam hominum contemplatur, rebus intereſt, mores, prout recte aut prave ſunt inſtituti, vel probat, vel averſatur; negotia, conſilia, caſus omnes, vigili cura regit, & in optimos fines optima ratione gubernat. Is igitur Deum novit, qui ſcit non ſolum ex ejus nutu pendere creaturas, ſed ab ipſo ſic diligi, ut earum ipſi cultus acceptus ſit, earumdem commodis impenſe ſtudeat, preces audiat, votis reſpondere amet, imo nihil malit, quam ut felix illud & ſanctum, quo pura & ſincera Religio conſtat, ſecum ineant commer-

Pſal. xxxvi. 10.

mercium. Is vera demum Dei cognitione imbui cenſendus eſt, qui pro Rege Mundi potentiſſimo, ac ſapientiſſimo non tantum, ſed & liberrimo agnoſcit; qui tanquam humani generis patrem, virtutis omnis abſolutiſſimum exemplar, æternæ legis aſſertorem & vindicem, ac proinde obſequii legibus præſtiti Remuneratorem certiſſimum, ſuſpicit. Qui denique (nam in revelatione ſcripto mandata Deus noſtris ſenſibus ſeſe propius applicat,) eum in Chriſto tanquam ſalutis noſtræ auctorem veneratur, peccatoribus placabilem, reſipiſcentibus propitium, tamque effuſa in eos miſericordia, ut pœnis quas commeruerant condonatis, vitam æternam, ſi in ſancto propoſito perſtiterint, donare decreverit.

Altera res eſt, illi cum Deo aſſuetudini parandæ requiſita, ut jam ſponte ad ipſum accedamus, & adeamus frequenter; quod fiet contemplatione, aſſiduis precibus, cunctiſque cultus religioſi exercitiis. Nihil proderit certe, eximiarum veritatum notitiam fuiſſe adeptos, ſi ab iis abducimus animum, ac non potius contra perpetuo revolvimus, & in divinarum virtutum atque operum contemplatione defixi hæremus. Proinde in ampliſſimo Naturæ conſidentes theatro, ſtupendas

quas recludit divitias, varietatem creaturarum inexhauſtam, cauſarum admirandam ſeriem, omnium rerum conſtantem ordinem, poſituram aptam, ac velut concentum, intueamur, tanti indicem Opificis. In rerum geſtarum annalibus occultos veſtigemus providentiæ ductus, dum voluntates hominum, facta, molimina, & exinde natos eventus multiplices, caſuſque varios, velut una revinctos catena, ad deſtinatum exitum pertrahit. Deinde oportet ut Verbum divino afflante Spiritu exaratum volvamus aſſidue, ubi ſemet Deus, tanquam in tabula, perfectioneſque ſuas omnes expreſſiſſimis lineamentis depinxit, dum mira, quæ noſtræ ſalutis cauſa patrare dignatus eſt, nobis ob oculos ponit. Decet denique, ut ad vitæ quiſque ſuæ experientiam reflectentes animum, paternam quam noſtri curam geſſit, per tot rerum diſcrimina, tot ſecundæ adverſæque fortunæ viciſſitudines, eluceſcentem, proprio ſenſu grati recolamus. Tunc vero fieri non poteſt, quin præſentem quiſque, ut cum regio vate loquar, nobis à dextris adſtantem, cernamus Deum; quin, eodem Davide præeunte, exclamemus; *Mihi* Pſal. cxxxix. 16, 17. *quam pretioſi ſunt cogitatus tui; quam numeroſæ eorum ſummæ! Si eos numerem præ ſabulo*

bulo abundabunt. Evigilavi & adhuc fui tecum.

Contemplationi porro divinæ naturæ, precum addendus eſt uſus frequens. Nam pia mens quoties Deum orat, cum eo familiariter colloquitur. Nempe precibus fuſis, imos ipſi pectoris receſſus aperimus, apud ipſum, quod amicus apud amicum ſolet, arcana noſtra deponimus; nec latentes animi morbos retegere veriti, curas omnes, anxietates, deſideria, ſpes, metus in ejus ſinum excutimus; quin & quidquid res & uſus poſcit confidenter rogamus. Is viciſſim loquentibus reſpondet, erigit, fovet, ſolatur, & ex opis ſuæ fiducia lætitiam menti adflat incredibilem. Fit autem, ex familiari ad Deum acceſſu, ut noſter in eum magis magiſque inflammetur amor, qui obſequium parit ejus legibus debitum, ac virtutum æmulationem; adeo ut à quo abhorret ipſius natura, id magno opere refugiamus, quod vero ipſi maxime congruens & conſentaneum eſt, id totis viribus amplectamur.

Quem affectum continuo ſequetur, ab una parte, divinis decretis placide acquieſcens animus, ſua ſorte contentus; quod Deus de ſe ſtatuerit, quod circa reliquas res ordinarit, id ſemper optimum cen-

 ſens:

ſens: ab altera vero parte, firma promiſſorum ſpes, & plena ſecuritatis in Deum fiducia; unde perſuaſum habemus, quicquid nobis ingratum nunc, aut acerbum, contingat, feliciſſimum tandem rerum noſtrarum exitum fore.

Quæ recenſui omnia, verbo uno Scriptura complectitur *ambulandi cum Deo*, invidendæ ſortis ſimul & laudis exemplum, ſpeciatim in Enocho & Abrahamo ſtatuens. Nec aliud vult Eliphas, dum amicum jubet dare operam, ut cum Deo conſueſcat, fructum inde ſuaviſſimum decerpturus, omnimodam animi tranquillitatem.

II. Haud multis egeo, ut hoc ultimum demonſtrem, modo præfata diligenter perpenderis. Cedo enim, quanam ex cauſa fit, ut pax humanis pectoribus exulet? Quem fontem eſſe dices inconditorum motuum, quibus, velut totidem procelloſis ventis, noſter animus ſurſum deorſum vertitur & permiſcetur? Unde, quæſo, ſollicitudinum hinc inde mentem vexantium, alterniſque prementium, velut unda ſupervenit undam, æſtus reciprocus? Unde perpetua illa cupiditatis cum Ratione lucta; & mentis, per contraria vota diſtractæ, affectu nunc huc propellente, nunc illuc, dilaceratio miſerrima? Nempe ex

eo, quod jam à pueritia ſenſibus dediti, dein longo uſu iisdem mancipati, cum ſenſilibus rebus familiare commercium contraximus, à quibus propter inolitam conſuetudinem avelli animum vix patimur. Is, dum bonis inhiat fluxis & caducis, dum fruſtra captat fugientia, & anhelo curſu aſſequi conatur; dum amittere metuit, aut ſibi dolet erepta, perpetuis agitatur miſeriarum fluctibus. Diſſiliant amicitiæ, magno labore partæ divitiæ avolent, pereat uſus adſuetæ voluptatis, intereant cari propinqui, ac tenerrimæ neceſſitudinis vinculum ferali lege abrumpatur; tunc diſſolvimur in lacrymas, & gemitibus omnia complemus; tunc mentem neceſſe eſt mœrore confectam, velut Oceano quodam ægritudinis, demergi. Quippe eorum convictu, in quibus ſemel felicitatis ac gaudii ſummam poſuit, orbata, luget ſolitudinem ſuam. Quod ſi adamatis bonis fruitur, conquieſcit nusquam, ſemper plurium cupida; quanto largius impletur, tanto ardentius ſitiens, & quod omnium miſerrimum eſt, bellantibus inter ſe voluntatibus conquaſſata atque diſcerpta. Huic malo unicum ſuppetit remedium, ſi ſemotis tantiſper rerum terreſtrium illecebris, ſe mens altius erigat, & ad o-

mnium Conditorem Deum adſcendat. Namque hunc dum ſumme bonum agnoſcit, atque ut in ſe beatiſſimum, ita veræ beatitatis fontem; dum omnia ſub imperio tenentem, mutationis neſcium, in dictis veracem, in pollicitis conſtantiſſimæ fidei, cogitat; dum ſcit eum eſſe, qui quovis loco nos videt, invocantes audit, cordis adyta penitiſſime ſcrutatur; quovis tempore ad opem ferendam paratus eſt, modo ſupplices ad eum confugiamus, & legi ſanctitatis immutabili nos morigeros præſtemus; Mens, inquam, huc evecta contemplationis alis, dum ſimul Scripturarum oracula conſulit, dum Providentiæ veſtigia aſſiduo legit, dum frequenti precum uſu Deum compellat, eumque viciſſim ad ſe loquentem audit; hoc ejus veluti convictu adſequitur primum, ut terreſtria ſpernat præ cœleſtibus, deinde ut devios affectus ad normam æternæ rectitudinis componat; & ex æmulatione divinarum virtutum, earumdem particeps evadat, Θείας κοινωνὸς φύσεως: Tum ut Dei favore ac potenti auxilio freta, ſollicitudines & metus omnes tam præſentium, quam futurorum, abigat, non ærumnis, vel qualiacunque ſint, fracta jaceat, & quemadmodum proſperis hujus mundi non inſoleſcit, ſic adverſorum inſul-

ſultibus à gradu ſe dejici non patiatur. Nunc intelligis, credo, quam ſapiens, quam opportunum fuerit Eliphaſi conſilium; vides, quam ſecura pace nos beet, quam munito tranquillitatis portu nos condat familiaris quaſi cum Numine ſocietas inita. Tunc enim ſub Omnipotentis alis ſecuri conquieſcimus, eaque Pſaltis ex proprio ſenſu ingeminamus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti pro timentibus te! Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos, in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum. Poſui Dominum coram me ſemper, quia is eſt ad dextram meam, non movebor. Agglutinata eſt anima mea ad te, me tenuit dextera tua. Ego ſemper tecum, tenuiſti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Ecce qui elongant ſe à te, peribunt, mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Atque hæc quidem longius deduci, & plenius illuſtrari pro merito poſſent, ac deberent; ſed Lectorem ſatius eſt amandari ad *Franciſcum Atterbury*, quondam Roſtæ Epiſcopum, qui inter Principes Oratoriæ ſacræ jure numeratur. Is egregie Jobi locum tractavit, Sermonum tomo ſecundo.

Pſal. XXXI. 20-22; XVI. 8.
Pſal. LXIII. 9.
Pſal. LXXIII. ſ. fin.

IN CAPUT XXIX.

Vs. 1. *Addidit quoque Job, aſſumens parabolam ſuam* &c.] שאת משלו vertit Schultens, *victricem ſuam tollere ſententiam.* Nullàm rationem video, cur à priori eorumdem verborum ſup. XXVII. 1. verſione receſſerit; *ſententioſum ſuum promere ſermonem*, quæ Hebræa premit veſtigia; aut cur משל *ſententia victrix* potius reddatur, quam *figurata, ſententioſa, parabolica oratio*; quod toti huic capiti maxime quadrat. Recte Druſius, quod apud τοὺς O legitur, ἐῖπε τῷ παροιμίῳ, emendat ſic; εἶπε τῇ παροιμίᾳ. Fidi metaphraſtæ officium eſt, eadem verba iiſdem, aut ejuſdem certe ſignificatus verbis reddere, niſi locus variet ſenſum. Hic ſi variandum ſit, priori ex duobus *victrix ſententia* congrueret, ubi adverſarios premit Jobus argumentorum mole. Porro nexum hujus ſermonis cum antecedentibus, pro ea, qua pollet, ſagacitate feliciſſime expedivit Codurcus, quem vide.

Vs. 4. *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ.*] Adi Schultenſii notam, ſumma eruditione refertam, qua pervincit חרף proprie *autumnum*, autumnitatem ſignare, qua deſignetur ætas integra, matura, & vegeta,

geta, quæ bonæ frugis feraciſſima. Vid. in eandem vocem Codurcum.

Vs. 18. *In nidulo meo moriar.*] Pie magis, quam critice, Commentatores nonnulli per *nidum*, non tantum domum, liberos, patriam, fortunam intelligi volunt, ſed pacatiſsimum & jucundiſsimum ſtatum animæ ſemet in Deo poſſidentis, cum vivo ſenſu gratiæ & benedictionis divinæ, uſque & uſque perennaturæ. Minime huc nos trahunt, quæ ſingulatim Jobus exſequitur toto Capite, amiſſæ felicitatis documenta. *Nidus* ponitur pro domicilio, aut ſi quid mavis ſignificantius, pro conditionis ſecuritate, ac felicitate inacceſſa; emblemate deſumpto ex aquilis, in celſiſſima rupe nidulantibus. Orientalibus, ut ipſe Schultens obſervat, protritum. Quod vero adjicit, ut ſenſum ſuum ſpiritualem fulciat, Jobo ſemper urgentibus Dei plagis ob oculos fuiſſe, illas tanquam in caput ſceleratum & nocens immiſſas videri, ad eum à terra viventium, pro exemplo vindictæ divinæ, eradicandum; id, ſicut minime ejus dictis nititur, & amicos à truculentioris ſententiæ aſperitate abſolvere aptum fuit, ſic nihil abſurdius quicquam, aut à Numinis æquitate alienius fingi potuit. Credant iniquiores triumviri, miſerum ſodalem

lem ob delicta plecti, juſtasve inſignis alicujus criminis pœnas luere: At Jobus, propriæ ſibi innocentiæ conſcius, quî quæſo imaginari potuit, ſe, cœleſti vindicta perſequente, è terris eradicandum? Quî talem in ſe vindictam cogitare potuit Vir, ſi Schultenſio credas, æternæ ſalutis ad ultimum fiduciam retinens?

Ibid. *Et ſicut palmæ multiplicabo dies.*] Sic vertendum eſſe חול evicit Schultens, neque hîc aut Phœnici avi, aut Palmæ arbori locus. Adi quoque ſis Codurci notam. Sed cur durior Viro doct. ſententia aut implicatior videatur, minime adſequor, aut cur alienam putet ab homine ſapiente, ſpem vitæ longiſſimæ, quam ſibimet ejuſmodi verbis deſponſaſſe manifeſtum; talis enim comparationis hyperbola non preſſius urgenda. Quid cenſes? dierum multitudo pii Viri votis indigna fuerit, rerum amplitudo non fuerit? Undenam tibi tam anxius ſcrupulus, iis temporibus præſertim quibus τῶν ἁγίων adhuc obſeptum iter; ubi nondum regni cœleſtis aperta erat janua, nec æternorum bonorum ſpes in clara luce per Evangelium poſita?

Vs. 19. & ſeq. *Radix mea aperta eſt ſecus aquas* &c.] Vim orationi nimiam inferunt, qui ſequentia in futuro connectunt;

cùm

cùm præteritæ proſperitatis deſcriptio continuetur, quam Jobus, ut ex Vs. 18vo. patet, ſibi perpetuam ſpoponderat. Quidni enim tam magnifica in poſterum exſpectare, ſalva verecundia & modeſtia potuerit, cùm præterita beneficia pignus ipſi quaſi eſſent & augurium futurorum? Quidni etiam ſibi ablata ſubito quereretur, quæ longus ipſi pridem uſus mancipaverat? Monendi nempe ſunt uſque & uſque Theologi, ne ad Evangelicorum temporum normam cætera exigant. Jobum ſatis decuit, quod Chriſtianum forte minus deceret, per magnas illas & eximias Chriſti promiſſiones, factum θείας κοινωνὸν φύσεως. Hujus adeo neceſſariæ cautionis immemor Cel. Schultens, nonnihil vexat orationem Jobæam, ut ex ea tanquam trapeti ſuppoſita, ſuccos exprimat qui magis ad Chriſtianum palatum ſapiant; nolens carnalem felicitatem Noſtro obverſatam, aut propoſitam fuiſſe, ſed omnia convertens in ſpiritualis ſtatus picturam. Theologis nempe obſecutus, ex *radice illa aperta* principium vivum, firmumque vigorem gratiæ Jobo collatæ prolicit, nec non jugem influxum Spiritus Sancti & donorum ejus. Ex eodem, ſi libuiſſet, fidem, ſpem, charitatem, & quid non? educturus. Scilicet immen-

ſum

ſum illum allegoriarum Oceanum naviganti, omnis ſuus ventus eſt. *Nihil hoc genere pellacius, nihil lubricum magis; cui nollem ſe committerent ſacrarum litterarum Interpretes, nihil aliud inde lucrantes, quam titillatiunculam.* Cùm id illis negotii potius datum ſit, ut S. Scripturae mentem genuinam aperiant. Sic Viri doct. prudens monitum in Textus emendandi prurigine laborantes, allegorici quoque & myſtici ſenſus captatoribus aptari forſan æquo jure liceat; qui dummodo ſenſus ethicos & pios ex aliqua Scripturæ pericopa, quoquo modo, extundant, parum curant num ex re nati, num ex verborum vi fluant, aut ad Scriptoris mentem ſint, ejuſque propoſito congruant. Qualia pleraque S. Gregorii moralia in Jobum. Quæ, utpote per ſe egregia & vera, quin etiam ad informandos mores utilia, laudibus ultro proſequaris, ſic tamen, ut ſimul illud addas Horatianum: *Atqui non erat his locus.*

IN CAPUT XXX.

Vs. 1. *Nunc autem derident me juniores &c.*] Indignas Viro forti & ſapiente has querelas cenſet doct. Interpres, niſi quæ ſibi nunc ablata deflet, dicatur ex principio

cipio gratiæ divinitus collatæ certiſſime exſpectaſſe, ſi de futuris, aut poſſediſſe, ſi de præteritis, quæ jam adeptus erat, bonis intelligas; ſi Schultenſium audis, exigua Jobo inerat de terreſtribus ſollicitudo. Non hunc bonorum temporalium amiſſio, non malorum ſenſus frangere potuit, non priſtinus honor demptus, non viliſſimorum hominum dicteria & ſannæ, eum de gradu dejicere, niſi accederet divinum judicium, omnes ſceleri debitas pœnas & diras in ipſum emittens. Tale quid nimirum enarratori ſuadet connatus myſticarum interpretationum amor. Abſque enim eo foret, duo clariſſime perſpexiſſet. 1mo. De divina maledictione, aut divinæ gratiæ ſenſu adempto, ne verbum quidem à Jobo prolatum. 2do. Priſtinam dignitatem ereptam, pipulumque hominum paſſim illudentium, cauſæ ſatis adferre, ut vicem ſuam acerbiſſime doleat. Fruſtra objicias vocem auream, ſupra II. 10. *Accipiemus bona à manu Domini* &c. Quod enim Vir pius, & ex animo religioſus, ad primum cladis ſuæ nuntium divinæ voluntati ſe reverenter acquieſcere profiteatur, neutiquam ideo neceſſe eſt, quando ab ampliſſimæ dignitatis culmine ſe dejectum poſtea recordari ſubit, ex collatione præ-

ſentis

ſentis fortunæ cum præterita, aliquo mœrore non affici. Ut paucis abſolvam, cùm nonniſi præſentis vitæ commoda præcedens Caput enumeret, opes, honores &c; neque aliud quam hujus vitæ mala, puta egeſtatem, ſordes, contemptum, hoc ipſo Capite lamentetur Jobus; gravius tamen quid ſubeſſe velle, quod ejus animum infinito dolore confodiat, nulla alia de cauſa, niſi quod opinioni, quam gratis de Jobo nobis fingere libuit, id melius reſpondet. Hoc vero non eſt interpretem agere, ſed præconceptam hypotheſim intrudere textui.

Vs. 3—6. 7. *Egeſtate & fame ſteriles qui vadebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate & miſeria. Et mandebant herbas & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum. Qui de convallibus iſta rapientes cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant. In deſertis habitabant torrentium & in cavernis terræ vel ſuper glaream. Qui inter hujuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant.*] Viliſſimæ hic ſortis hominum vita erratica deſcribitur. Cujus picturæ graphicæ occaſione recordari ſubit loci inſignis, apud Lucam, Evang. Cap. VII. verſu 24. ubi Dominus ad Judæos: *Quid ſpectaturi veniſtis in ſolitudine hac? Num calamum à ventis agitatum?*

tum? Cur de calamo mentionem faciat, quamve cum eo Johannes Baptiſta, de eo enim hic ſermo eſt, convenientiam aut adfinitatem habeat, non ſatis expediunt Interpretes. Quod enim ait Hammondus in Paraphraſi ad Matth. XI. 6. poſt Bezam & Grotium, de arundine in locis deſertis frequente, cujus profecto viſendæ gratia non erant ituri, plane frigidum eſt. Quæ vero Eraſmus & alii, de firmitate Johannis, & conſtantia in propoſito, hoc emblemate indicari volunt, longe arceſſita videntur, nec ſequentibus ſatis congruunt: crediderim potius Judæos figurata locutione uſos arundinis vento quaſſatæ, ut deſignarent tenebriones, errones, homines nihili, qui per arida loca & ſolitudines vagantur, nullo proprio lare, aut ſede certa; quales noſtro Jobi loco depinguntur, abdentes ſeſe in rupium cavis, pone virgulta & fruticeta latitantes, quique in ſenticetis *perſtrepunt*, ינרקו, (male à Vulgato redditum, *lætabuntur*) plane arundinibus ſimiles, quæ vento ludibrium debent. Sic optime cohærebit Chriſti oratio. Quid, inquit, deſertum petiiſtis viſuri? Num aliquem ex fæce illa vagorum hominum, qui loca deſerta pererrare ſolent, arundinis in morem huc illuc acti, ad leviſ-

T ſimam

ſimam auram intremiſcere & perſtrepere ſueti? Minime id quidem. An vero, quod plane oppoſitum genus, aliquem optimatem, ſplendidis veſtibus ornatum, ut aulicorum mos fert? Neque id quoque; ſed eximium Prophetam. Si careſtum ad litteram intellexiſſet Dominus Jeſus, plurali numero uſus potius fuiſſet, dixiſſetque καλάμους, non κάλαμον. Unde patet hominem, aut certum hominum genus indigitari. Saltem id mihi ſit admodum veriſimile. Atque hæc obiter dicta ſunto, ad elucidationem loci, quem parum adverterunt Interpretes.

Vs. 15. *Redactus ſum in nihilum: abſtuliſti, quaſi ventus, deſiderium meum: & velut nubes pertranſiit ſalus mea.*] „ Figura, ait „ Schultens, Arabibus trita, qua magnificas ſpes, aut pollicitationes haud „ impletas, comparant nubi imbrem magnum promittenti, ſed mox in auras „ dilapſæ, aut ventis diſcuſſæ.“ Ante Arabes illos laudari potuit Salomo, qui Prov. XXV. 14. eadem uſus eſt metaphora. Ad quem locum erudita Cl. Schultenſii nota omnino conſulenda. Confer Pſal. XXXV. 5. *Fiant ut palea coram vento, Angelo Domini impellente.* Ubi per *Angelum* ipſe ventus intelligendus. Verum ſupereſt aliquid, quod hic Interpretes inobſer-

obſervatum reliquerunt. Scilicet figuratæ orationis lumen atque ὕψος, quo ſi adtendas, animus mire percellitur. Dei terrores ſibi imminentes vehementi *vento* aſſimilat Jobus, à quo ſuus animus jactatur, exſternatur, propellitur paleæ in morem; ſuamque ſimul ſalutem *nubi*, quam idem ventus fugat & diſcutit. Nihil vividius, aut prægnantius fingi queat, duplici hac imagine.

Vs. 22. *Elevaſti me; & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me valide.*] Inſignis hic quoque tropus, ex nube iterum deſumptus, quam ventus in altum ſublatam, & magnifice per aëra circumductam, mox diſcutit, & in imbrem reſolvit. Optime enucleavit Pineda latentem metaphoram, quæ eleganter Fortunæ filiis aptari poteſt, qui opibus & dignitatibus immenſum aucti, atque in cœlum uſque evecti, inopina calamitate dejiciuntur in inſima, nativo cœno redditi. Haud abſimili ſchemate Syracides Eccli. XL. 13. rivi cujuſdam more exareſcere ait male partas divitias, aut ingentis tonitru inſtar in imbrem diffluere, quod ultimum Simile miram concinnitatem habet, & μεγαλοπρέπειαν. Nempe omnium ſermonibus celebrantur divites: Eorum factis, laudibus &c. univerſa perſtrepit civitas.

At ſæpe quam ſubito, una cum opibus ſuis, dilabuntur & evaneſcunt!

IN CAPUT XXXI.

Vs. 31. *Si non dixerunt Viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus ut ſaturemur?*] Mirari hîc ſubit interpretationum æqua fide verbis Textus adhaerentium diſcrepantiam, adeoque Hebræi idiomatis ambiguitatem in diverſos ſenſus, & ſæpe oppoſitos flexilem. Unde docemur, acerrimo certe judicio uti oportere, atque omnia anxie circumſpicere, qui S. Scripturæ Interpretem agit. Connectunt Genevenſes hanc pericopam cum antecedentibus duabus, ubi Jobus teſtatur de ſe, quam lentus fuerit in injuriis ferendis, quam nullo vindictæ ſtudio in oſores ſuos actus; quos tantum aberat ut retaliare vellet malefactis, ut ne quidem iis male precaretur, imò apud animum nulli acerbiori in eos affectui indulgeret, atque eadem mente addere faciunt. Vs. 31. Se domeſticorum impetum cohibuiſſe, qui heri ulciſcendi impatientia ſubinde clamitarent: *Quis nobis hujus hoſtis carnem dentibus lacerandum præbebit? Ipſa nunquam ſatiabimur.* Verum hîc nexus, licet ſatis expeditus & facilis, neſcio quid atrox & im-

immane præfert, quod mens Lectoris illico reſpuit; noſtræ certe arridet minime. Num enim credibile eſt Domino, tam magnanimi, bono, & clementi fuiſſe ſervos adeo truculentos & feros, ut in talia vota, eo audiente, erumperent? Cùm potius ad Domini exemplum tota familia componi ſoleat, & mores herilibus ſimiles induere. Feliciſſime, noſtro equidem judicio, ſenſum aſſecutus eſt, & velut acu tetigit *Ikenius*; referente, & ut ingenuos decet, calculum ſuum addente Schultenſio. Nempe non cum præcedentibus, ſed ſubſequentibus connectit, ubi hoſpitalitas inſignis memoratur, quam benigniſſimo animo Jobus exercebat erga extraneos & peregrinos: Sic reddens; *Viri tentorii mei dixerunt, quis dabit, qui de carne ejus non ſit ſatiatus?* Ut ſenſus ſit, tantam fuiſſe Jobi hoſpitalitatem, ut *Viri tentorii ejus*, i. e. ex familia & famulitio qui erant omnes, ex vero dicere potuerint, neminem daturum, monſtraturum aliquem, qui de dapibus Jobicis non ſit ſaturatus. Egregium conſpectum, merito hunc Schultenſius vocat, alienæ laudis profecto haud malignus æſtimator. Atque utinam tales ſæpe conclamatis hujus Libri locis Oedipi contingerent?

Vs. 33. *Si abſcondi, quaſi homo, peccatum*
 meum,

meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam.] Hic ſolitum in Codurco judicii acumen requiro, qui interpretari mavult, *more humano*, aut *vitio humanæ gentis*, quam de primo homine; nulla addita cauſa, cur hanc poſtremam interpretationem reſpuat, quæ ut ſponte naſcitur, ita ſenſum dat longe ſignatiorem altero, & luculentiorem. Rem cognoſcant emunctioris naris Critici. Nimis frequens fateor, & pervagatum hominibus vitium eſt, ut peccata ſua defendere ament, & quæſitis undecunque coloribus diſſimulare; at non ita proprium noſtræ naturæ & concretum, ut aliqui tamen non ſint liberalioris indolis, qui ingenua confeſſione culpam eluere malint, quam impudenter negare, eaque opera aliis verſute imponere hominibus. Quin ipſe Jobus ſe horum cordatiorum numero infert. Unde pateſcit locutionem hanc, *non abſcondidi peccatum ſicut homo*, flaccidam eſſe, & parum concinnam; quæ nempe univerſis hominibus vitium inſitum, humanitati quarto modo veluti proprium, ab eaque haud divellendum ſupponeret, à quo ſe tamen immunem Jobus profiteretur. Omnino reddendum igitur, *ſi texi ſicut Adam.* Nota quippe ſatis erat primorum Parentum hiſtoria. Notum,

Notum, qua ratione ſtatim à lapſu Adam ſub arboreta ſe abdiderit, ut Judicis oculos fugeret, ac inde protractus delictum excuſare, hujuſque culpam in uxorem transferre ſtuduerit. *Mulier illa quam mihi dono dediſti* &c. Rem peſſimi exempli in mores ſuos neutiquam trahendam duxit Jobus. Sedulo à tali fraude abſtinuit. Primum cavit, quantum ſinebat humana imbecillitas, ne in Deum delinqueret; tum ſi qua forte eum culpa attinuit, candide eam confeſſus eſt. *Si texi peccatum meum ut Adam, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam.* Eandem ingenuitatem confeſſionis, quæ ab innocentiæ laude proxima eſt, ſibi aſſerit David, Pſal. XXXII. 5.

Ejuſdem Cap. vs. 18. *De utero matris meæ egreſſa eſt mecum.*] Scilicet *miſeratio*, uti Vulgato vertere placuit, כְּאב in priori colo, hallucinatione manifeſta deducenti à כאב *doluit.* Cum ſenſus ſit, *ab infantia adolevit mihi, ut patri*, ut optime Schultens, *& ab utero matris eam deduxi.* Conſtructio eſt eorum quæ dicuntur πρὸς τὸ σημαινόμενον, ſubaudiendo אלמנה *viduam*, quam in animo habebat, quia יתום *pupillum* memoraverat, præcedente verſu; quæ paſſim conjungi ſolita. Quando autem dicit pupillam ſecum adoleviſſe, & ab utero matris una egreſſam, hyperbole

utitur, à qua S. Scriptores non abhorrent. Sic Pſalmo LVIII. 4. *Alieni fuerunt improbi ab utero, erraverunt à ventre loquentes mendacium.* Ab utero quidem labe peccati infectos concipimus, eaque ſors improbis, cum reliquis hominibus, communis fuit, etiam maxime probis & piis; at certo non mendaces, aut erroribus addicti ab utero, ſi illud proprio ſenſu ſumatur. Neque apud profanos Auctores ſimilia exempla deſunt. Iis, quæ adtulerunt Viri docti, unum apponam ex Luciano, apud quem Vulcanus, Dial. Deor. VII. de Mercurio verba faciens, ſic ait; ὅλως ὀξύχειρ ἐςὶ, καθάπερ ἐν τῇ γαςρὶ ἐκμελετήσας τὴν κλεπτικήν. *Tam acutis eſt manibus, ac ſi in utero meditatus ſit artem furandi.*

Ibid. vs. 26. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare* &c.] Confer his memorabile interdictum Deut. IV. 19. Utrique loco illuſtrando facit Sententia Arabum παροιμιώδης احذر من النظر في شعاع النجوم *cave intueri in ſplendorem ſiderum* (a). Aut, *cave tibi, dum ſuſpicis ſplendorem ſiderum* Antiquiſſimus videlicet Aſtrorum cultus à Chaldæa, vicina Jobo

(a) Erpen. Prov. Arabic. Centur. I. 38. qui notam addit; *Acumen Pythagoricum non capio, nec ſcio quid velit adagium.* Minime profecto ſic locuturus, ſi ei noſter Jobi locus ſuccurriſſet.

Jobo regione, in reliquos populos deri-
vatus, quem apud veri Dei cultores,
quibuſcum Noſter vivebat, pro innata
hominibus in idololatriam propenſione,
ſenſim irrepſiſſe credibile eſt: adeo ut
nonnulli clam & furtim, præ reverentia
melius ſentientium, huic ſuperſtitioni
operam darent. Qua de cauſa addit
בסתר. Quod vero cum Chryſoſtomo Schul-
tenſius judicet, indignum fuiſſe Viro ſan-
ctiſſimo, ut talem a ſe ſuſpicionem amo-
liretur, & in ſummis hoc officiis cenſe-
ret, nec ejus ſceleris ſuſpicione ab ac-
cuſatoribus verberatum addat, ea parvi
ponderis videntur. Nam primævis ſæcu-
lis illis plures ea contagione tacti, qui
ſummum cæteroquin Numen agnoſcebant,
atque in ſole, tanquam inſigni quadam
imagine, colebant, ut apud Perſas ſatis
compertum. At caput id & fundamen-
tum veræ Religionis fuit, ut ab omni
idololatria, aut religioſa ſpeciei cujuſdam
viſibilis veneratione abſtinerent. Igitur
ipſe Jobus, qui morum ſuorum conſtan-
tem tenorem enarrat, totiuſque anteactæ
vitæ apologiam inſtituit, multa etiam à
ſe vitia depellens, quæ ipſi accuſantium
diritas minime impegerat, rem momen-
toſiſſimam prætermittere neutiquam de-
buit. Qui autem locum interpretantur

de aſſentatione in viros principes, aut auri argentive cupiditate, ii nimia allegoriarum indulgentia, pro recto & ſimplici ſenſu, quæſitum & contortum amplectuntur. Nam primò, ſic idem fruſtra bis diceret; & quidem nunc tecte & figurate, quod diſerte & proprie jam verſibus 24. & 25. fuerat enunciatum. Se-
Col. III. 5. cundò, licet avaritia ab Apoſtolo Paulo idololatriæ ſpecies perhibeatur, ſpirituali quodam ſenſu, idemque adfirmet Propheta, haud ideo minus perſpicuum eſt noſtro loco, ubi agitur de Sole ſplendente, & Luna magnifice incedente; quin & de oſculo ad eorum conſpectum ori admoto; cumque addit Noſter, id ſi perpetraſſet, ſe iniquitatis arbitratoriæ reum fuiſſe futurum, ac tale factum abnegationem Dei excelſi pronunciat; ex his omnibus, inquam, dubium eſſe nequit, quin Aſtrorum cultus indigitetur. Erudita equidem de more ſuo prompſit Schultenſius, ut aurum Solis nomine, argentum vero Lunæ, apud bonos Auctores ſignari oſtendat; qui etiam addere potuiſſet, apud Chymicos tritam eſſe eam nomenclaturam; ſed inde non conficitur, in Jobi Oratione utrumque metallum intelligi debere. Neque huic favet Pindarus, cujus decantatiſſimum locum adducit

ducit Olymp. prima. Aliud enim longe eſt, aurum Soli comparare, qui in vacuo æthere regnat, aliud quando ſimpliciter de auro & argento loqueris, ea Solem ſplendentem & Lunam, magnifice incedentem, nuncupare.

Vs. 40. *Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.*] His ſcrupulum obmovet Bolduc, (qui quamvis argutias in Commentario nimium ſectatur, & Monachum ſæpius reſipit, non ſpernendam tamen interdum Noſtro operam præſtat,) tamquam intempeſtive dictis. Quorſum enim talia ſibi imprecaretur Jobus, omnibus fortunis, adeoque prædiis ac latifundiis ſpoliatus? Unde cenſet eum referre, quid in florentiſſimis rebus dixerit & cogitarit, neque hanc exſecrationem, uti nec ſuperiores, ita capiendas, ac ſi hoc ipſiſſimo calamitatis tempore prolatæ eſſent. Eadem igitur cautio, ſi hoc ſit verum, foret aptanda verſibus 8vo, 10mo, 22do hujus Capitis. Sed totum relegenti, vereor ne parum naturalis is flexus videatur. Contortius alii, non ad terram Jobi, ſed perſonam referunt, cum omni ope, re, ſpe præſenti & futura, ut ſe dignum pronunciet, qui maledictione horrenda Dei exſtirpatus, omnibus ſæculis fœteat, atque horrori

rori ſit. Sed vide, quam inconditum nobis figuratæ locutionis genus obtrudant, ubi, quæ ad litteram ſunt neceſſario ſumenda, cum figuratis indivulſa ſerie cohærent. Nam terra illa verſibus 38vo. & 39no. memorata, veros agros ſignabit per ejus avaritiam exhauſtos, quorum aut dominos oppreſſerit, aut colonos debita mercede fraudaverit. At mox carduus & labruſca ex iis ſurgens, tropice notabit maledictionem æternam, ipſi Jobo adhæreſcentem. Nolim tam precariam admitti interpretandi methodum. Quod iidem ſubjiciunt de cultu Religionis neglecto, agricolatione Eccleſiæ remiſſa atque abjecta, quodque ſubtilius addunt, terram, *rudiores è fidelibus*, ſulcos vero *peritiores & perfectos* adumbrare, ſunt ex allegorico illo genere, quod palea levius. Dolendum, profectò, in ubere S. Scripturarum agro tot operarios inveniri, quibus ob colendi imperitiam, pro tritico exit carduus, & pro hordeo labruſca! Sed ut ad objectum ſcrupulum redeamus, is facile eximitur, nempe ex falſa opinione natus. Legimus enim Jobi meſſes exuſtas, abactos greges, prædia à latronibus direpta, ſervos interemptos; at prædia ipſa ablata nuſquam legimus, & ab alienis occupata, aut agri poſſeſſionem

nem

nem Jobo ereptam. Subitaria prædonum irruptione expilatus fuit Jobus, & ad præſentaneam inopiam redactus; non ditione ſua juſto bello exutus. Minime dubium ergo, quin latifundia ipſa remanſerint, cum ſpe futuri proventus. Vide Roques, *Diſcours ſur la Bible*, Tom. VII. p. 130. qui optimis id rationibus evincit.

IN CAPUT XXXII.

Vs. 8. *Sed ut video, Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*] Sic optime Vulgatus. Conſimiliter Genevenſes Noſtri, quos ſecutus Criuſos, qui in nota genuinum ſenſum explanat ſummo judicio. Vellem pariter alii Interpretes; qui dum Theologico ſuo perſpicillo vocum ſignificationes rimantur, ubicunque רוח *Spiritum* legunt, ſtatim de Spiritu Sancto ejusque donis cogitant. Unde hic רוח & נשמה pro eodem ſumentes, mire totam ſententiam perturbant, quam fruſtra argutis ſuis diſtinctiunculis poſtea evolvere conantur. Cuivis cordato manifeſtum, oppoſitionem inſtitui inter *Spiritum* in priori commate, & *flatum Omnipotentis* in poſteriori; id eſt inter naturæ dotes, & gra-

gratiæ ſupernaturalia dona. *Profectò*, inquit Elihu, *Spiritus eſt in homine*; *ſed* (præfixum Vau hanc vim habere ſatis notum) *ſed flatus Omnipotentis eos intelligentes facit*. Quaſi diceret, cuivis hominum ineſt à natura mens & ratio, cujus ope, modo diligenter uti velint, de rebus recte judicare, & vera à falſis ſecernere potes ſunt. Verum, eheu! ex inolito vitio fere accidere videmus (*a*), homines nativis illis opibus prave utentes, præjudiciis occæcatos, atque affectibus in devia abreptos, veri & æqui ſemitam deſerere, ut in errores quaſi ſua ſponte delabantur, iiſque adhæreſcant. Neceſſe eſt igitur, gratiæ cœleſtis aura mentes noſtras adflari, ut genuinum rerum intellectum accipiant, easque apte dijudicent.

Vs. 22. *Neſcio enim quamdiu ſubſiſtam &c.*] Veniam poſco, quotquot ſunt, qui Criticam ſacram peritius tractant, meque ab illis facile impetraturum confido, conjectationi, quæ hunc verſum expendenti animum ſubiit, ubi ſalebroſa certe verborum ſtructura, nec ex proximo expedienda. Præcedens verſus ſic habet, He-

(*a*) Id ſæpiuſcule ipſiſmet S. Scripturarum Interpretibus obtingere, dolendum eſt.

Hebræa, prout in Codd. hodiernis comparent, verbatim reddendo: *Ne quæſo tollam faciem viri, & ad hominem titulo honoris*, aut *circumlocutione utar*. Mox ſequitur, *nam neſcio, circumlocutione utar, in parvo tollet me factor meus*. Vides orationis incohærentiam manifeſtam. Quid fiet huic ἀσυνδέτῳ לא ידעתי אכנה? Quis ſenſus, ex duobus verbis juxta invicem poſitis, nullo ſubſtantivo, aut pronomine, aut adverbio mediante, exſculpetur? Quænam erit ſtructura? Nullum, credo, exemplum in Bibliis occurrit talis locutionis; *Neſcio circumlocutione utar*. Schultenſius nihil expedit vertens; *Neſcio ſane, blandiloquus forem, brevi me tolleret factor meus*. Quid enim ſibi vult, ita loquens; *Non ero blandiloquus, neſcio, blandiloquus forem?* Niſi אם forte ſuppleatur, quam tamen particulam Hebræi ita ſubaudire non ſolent, & ipſe Schultenſius, nota ad Cap. VII. vs. 16, illud ſupplementum, ut durius, rejicit. Tum ſi אם ſuppletur hoc pacto; *Si blandiloquus forem*, τῷ לא ידעתי quid fiet? Num dubitanter locuturus eſt Elihu de pœna, quæ veritatis proditores maneat? Imo contra, illam certo certius novit talibus infligendam, eaque ipſa cauſa impellitur, ut liberius ſententiam promat, nemini

par,

parcens, aut intempeſtiva adulatione velificatus. Igitur arenam hîc cernis, ſine calce, diſſoluta & obſcura omnia. Tentemus jam, an nexus aliquis & lux adferri poſſit. Ac primum obſervemus, Elihuum merito Triumviris antelocutoribus infenſum, quod incertis ſuſpicionibus eum vexaſſent, adeoque reum peragere neutiquam potuiſſent; præ pudore tamen provectioriſque ætatis reverentia diu conticuiſſe; atque animi impetum repreſſiſſe. At poſtquam loqui deſierunt, ac retuſi fortiter & debellati à Jobo; ejus coarguendi inauſpicatum conſilium abjecerunt, tandem animos ſumit, ruptoque ſilentio, ſe prorſus alia via rem aggreſſurum profitetur. Certis videlicet principiis, & inconcuſſis fundamentis, non dubiis criminationibus, ut reliqui fecerant, cauſſam Dei aſſerere paratus, Jobumque arctiori vinculo conſtringere. Ac ne forte Seniorum verecundia, qui prius in hanc arenam deſcenderant, obſtet generoſo incepto, diſerte ſpondet ac ſanctiſſime teſtatur, ſe prægreſſorum veſtigia neutiquam porro inſecuturum, aut ita aſſentatione uſurum, ut prava, quæ attulerunt, argumenta aliquo in pretio habere videatur. Id vero eſt quod ait, אל נא אשא פני איש *acceptione perſonarum non utar.* Sequi-

Sequitur ואל אדם לא אכנה. כנה verbum rarius, occurrit hîc tantum, & bis ni fallor apud Eſaïam; unde ejus vis minus explorata. Rabbinis eſt, *cognominare, titulis aliquem inſignire* honoris præſertim cauſa. Ad quam formam Coccejus in Lexico, *permutatis nominibus blandius circumloqui*, aut *adulari* reddidit. Certe uterque locus Eſaïæ XLIV. 5. XLV. 4. concinit ſignificatui *cognominandi*, aut *nomine deſignandi*. Verum aliam ſubeſſe verbo poteſtatem, & quidem primariam ſuſpicor, nempe *ſtabiliendi*, *firmandi*, pro vero *affirmandi*, qua ab affini כון profluxerit. Unde נכון *certum*, *ſtatum*, *firmum*; אכן particula affirmantis, pro *firme*, *certe*, כן *recte*, *ſic*, *ita*, item *baſis*; quo ultimo ſignificatu habemus כיון, מכון, מכונה. Inde vis illa cognominandi derivata fluxerit, nam cognominando res veluti ſiſtitur & adfirmatur; ejus exiſtentia aut veritas extra dubium ponitur. Indidem quoque videtur fluxiſſe Arabicum كَنَهٌ quod rei ſubſtantiam indigitat. Quod jam hîc tentamus, ſæpius uſurpatum Coccejo, aliiſque Linguæ Sanctæ Interpretibus, ut ex affini themate rarioris verbi ſignificationem eruant. Quin & ipſius Schultenſii veſtigia premimus, *nec ambigimus quin forma hæc vim omnem ſui thematis ſub-*

V *ſequa-*

ſequatur, *etiamſi exempla deficiant*; ut V. C. verba in exemplo ſimili faciamus noſtra. Jam noſtro loco mire atque unice quadrat affirmandi ſignificatus, ac ſenſum parit egregium. כי לא ידעתי אכנה וג׳ *ſi* (quod) *neſcio*, *pro certo affirmavero*, *qui me condidit*, *ſtatim è medio me tollet.* Oblique jactum in Treſviros, qui incertis ſuſpicionibus, criminibuſque precariis Amici calumniatores ſe potius, quam Dei defenſores præſtiterant. At parum hic facit cognominandi, aut tectis nominibus circumloquendi ſignificatus. Nec adulandi periculum incubuit Elihuo, aut ulla cauſa adfuit, quæ impelleret ad palpum Jobo obtrudendum. Non certe in id Amicorum exemplo trahebatur; neque, ſi vel maxime tectis verbis uſus, aut honoris aliqua præfatione, Jobo quadantenus peperciſſet, in eo tantum flagitii erat, ut præſentiſſimam ob id Dei vindictam extimeſcendam haberet. Conſtituto jam verbi כנה ſignificatu, eundem præcedenti verſu ſervare illud neceſſe eſt, quod ex ipſa repetitione clarum; ואל אדם לא אכנה. Sed quid hoc rei eſt? *Ad hominem*, vel *erga hominem non affirmabo.* Hîc vero per Criticos mihi liceat conjectandi licentia pudenter uti, rariſſime ſumenda, fateor, nec niſi in ſummis difficultatibus, quando

do rationum maxima ſuadet & commendat, probabilitas. Quod hîc an uſu veniat, peritorum arbitrium eſto. Si igitur punctis neglectis, (quorum jampridem anxia religione, Capello auſpice, ſe exſolvit Orbis eruditus) unius litterulæ mutatione legas וְאַל אֲרַע לֹא אֲכַנֶּה amotis omnibus ſalebris, ſenſum habes totius loci ſplendidum, gravem, perſpicuum; perſonæ, rei, filo orationis aptum. „ Abſit vero, ajet Elihu, ut ullius Viri „ perſonam accipiam, aut eorum, qui „ prius dixerunt, exemplum æmulatus, „ quicquam adſeverem, quod mihi prius „ compertum non ſit. *Nam ſi ignota mihi, & incomperta darem pro certis, conſeſtim Conditor meus è medio me tolleret.* “ Pondera nunc vim hujus effati. Vide quam fortiter, quam animo & propoſito convenienter, loquatur. Indigne tulerat Triumvirorum falſiloquia, dubiaſque concertationes, quibus Jobum confutare & vincere nequicquam tentaverant. Pudor tamen & reſpectus natu majorum, velut freno injecto, iram compeſcuerat, & ab iis interpellandis prohibuerat. At conticeſcentibus illis, frena animo laxat, atque ora reſolvit ad Divinæ Providentiæ vindicationem; profeſſus ſe alia longe via rem aggreſſurum, nec ſociorum am-

plius reverentia retentum iri, quominus diverſam ab iis ſententiam amplectatur. אל נא אשא פני איש. Se ſcilicet certis, indubitatis, ſibique penitiſſime notis inſiſtere velle, quibus unice ſua in Jobum argumenta ſuperſtruat. Ejuſmodi inſtituti ſui à Triumvirorum longe diſcrepantis, cauſam addens, quod Deum veri adſertorem mendaciique ultorem reformidet. Cæterum pravæ, ὥς γε μοὶ, lectioni אדם poſterioris coli, veriſimile eſt איש prioris occaſionem dediſſe. Notandum quoque Codurco, qui tralatitiam adulandi aut circumloquendi in אכנה notationum reticuit, adeo abſurdum viſum eſſe, pro tali delicto, pœnæ capitalis metum, ut ישאני condonandi ſenſu, cum aliis nonnullis, ſit interpretatus, ſicque locum vernaculo idiomate ſatis feſtive extulerit: *Je ſuis un peu bruſque & ſévère; je n'épargne perſonne; Dieu me le pardoint.* Obſerva denique in לא ידעתי, quod alioquin otioſum & pendulum, iterationem non invenuſtam verbi, antecedente commate uſurpati, ſi conjecturam noſtram admiſeris; ſic ut, ex duplici verbo repetito, nexus utriuſque verſus fortius adſtringatur in hunc modum: *Abſit ut quæ neſcio affirmem? Si quæ neſcio affirmarem, Conditor meus protinus me auferret.* In hac autem

tem interpretatione noſtra relativum אשר ante אל אריע, & ante לא ידעתי ſubauditur, uti centies in hoc Libro uſu venit. Tum particula אל pro abſolute aut ſimpliciter negante accipitur; quo ſenſu Pſal. CXXI. 3. bis occurrit אל יתן וג׳ *non dabit nutationi pedem tuum, non dormitabit cuſtos tuus.* Tandem כי pro כי אם poſitum intelligitur, ut Geneſ. IV. 24. ubi neceſſario vertendum; *Si ſepties vindicabitur Caïn* &c. כי שבעתים יקם וג׳. Vulgatus אכנה priore loco reddit per *æquabo*, poſteriore per *ſubſiſtam.* LXX. Vs. 21. βροτὸν οὐ μὴ ἐντραπῶ, & 22do. οὐδὲ ἐπίϛαμαι θαυμάσαι πρόσωπα. Quaſi utrobique æquivaleret אכנה τῷ *tollere faciem viri.* In loco non intellecto; dum verbi vim non norunt, divinatione uſi ſcilicet, ut ſæpe faciunt.

IN CAPUT XXXIII. 12, 13.

Hoc tibi reſpondebo : Innocens non fuiſti, quia Deus homine major eſt. Cur adverſus eum contendiſti, quod de omnibus ſuis rebus non reſpondeat (a) ?

De jure Dei in creaturas, Diſputatio.

VErba hæc ſunt, quorum opportunitatem ſectati, componendæ liti, quæ dudum inter Theologos vehemens exarſit, ſcriptionem noſtram lubentes accommodamus. Iis nempe inſigniter abutuntur, qui jus Dei ſummum in creaturas, nulla æquitatis aut Sapientiæ lege temperatum, ubique crepant, & vociferatione ſumma, potius quam rationibus, quæ quidem alicujus ſint ponderis, conſtanter aſſerunt. Sed ante omnia verborum genuina mens & vis ſollicite perſcrutanda. Nempe Triumviri operoſis diatribis ad Jobum debellandum, atque erroris coarguendum nihil huc uſque promoverant. Is enim ſtationem ſuam fortiter tenens, undequaque congeſta tela & coacervata crimina, ſuæ integritatis ſibi

(a) Clerici verſionem hoc uno in loco exhibemus, omiſſa Vulgata, quæ mire eo Textu delirat, nec magis τοῖς O accedit, qui hic etiam aliquid turbant; fida alias eorum pediſſequa, Schultenſiana vero habet : *En hoc ipſum non es juſtus : reſpondebo tibi : quia excellit Deus præ homine. Quare contra eum contendiſti, quod omnia verba ſua non reſpondeat ?*

ſibi conſcius, graviter repellebat. Unus inventus eſt Elihu, qui prudentior cæteris, ac nova prorſus via adverſarium adorturus, certamen inſtaurat, partesque repugnantis minus tectas ſollerter rimatur, in quas ictus ſuos dirigat. Scilicet Jobus ſe defendendo, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα tranſiliiſſe comperitur, dum audaci facinore ipſam Numinis juſtitiam in quæſtionem vocat; dum in perniciem ſuam Deum omnia queritur intendere; ab ipſo criminandi cauſas ſtudioſe conquiri; ſe quaſi compedibus vinctum teneri; vias ſuas omnes inſidiis undique velut indagine obſeptas eſſe. Regerit Elihu, parum ex æquo & decoro amicum locutum. *Etenim*, pergit ille, *quicquid ajas, major ſemper erit Deus homine mortali. Quare igitur litigas cum illo? Nullam enim factorum ſuorum rationem reddit*, id eſt, *reddere tenetur*, aut *ſolet*. Inde quærunt nonnulli Theologorum præſidium ſuæ ſententiæ, qua docent, Deum, pro eminentia ſuæ naturæ, jus quoddam obtinere ἀνυπεύθυνον, cujus vi, nequaquam iis legibus, quas morales vocant, teneatur; quin contra omnes poſſit, ſi lubeat, æqui & boni perfringere regulas. Hæ quidem, ſi eos audimus, Creaturis poſitæ ſunt, ut ſua ad invicem jura & of-

 ficia

ficia tueantur; at non itidem Deo, qui opificio manuum ſuarum nihil quicquam debet, ſuperioris neſcius, nec ulla lege cuiquam obſtringi poteſt, utpote ſummæ perfectionis faſtigio ſuper omnia poſitus. Fateor quidem prima fronte nonnullam ſpeciem hæc habet opinio; quam diceres ex intimo divinæ majeſtatis ſenſu profectam, & humilitatis nativæ conſcientia. Sed ſi propius rem expendas, longe aliter appariturum confidimus.

1. Illis Theologis in anteceſſum plane conſentio, nos de Deo nunquam magnifice nimis aut ſentire poſſe, aut loqui. Quantumvis extollatur Deus, & homo deprimatur, rem, uti eſt, tantum abeſt ut cogitando unquam apprehendamus, ut infra rei veritatem, quicquid conati fuerimus, ſubſidere neceſſe ſit. Urgent illi eſſe Deum independentem, nemini obnoxium. Agnoſcimus ultro; quis enim Eum, qui eſt Omnipotens, in ordinem cogat? Quis ipſi leges, & agendi formulas præſcribat? Quis eſt, quem reformidet Ens ſummum, aut cui parere teneatur? Reperiesne quenquam in univerſitate rerum, cui Univerſitatis princeps & moderator nomine aliquo devinctus ſit? Ajunt, Deum plaſmati ſuo debere nihil. Ajimus nos quoque; quî enim debe-

deberet, cum ipſe dederit omnia? Et creatura quicquid poſſidet, ipſum eſſe & vivere, conditori in ſolidum acceptum ferat? Nulla, circa hæc, nobis cum noſtris Theologis intercedit controverſia.

2. Obſervamus, ſecundo loco, ſermonis humani in divinis improprietatem & penuriam. Quæ ut moleſta ſemper accidit, ſic id præterea ſecum fert incommodi, quod mentis ſententiam obſcuret, & ſi quis ſit rixarum amans, lites ſerat innumeras, quibus contentionis ſerram reciprocantes nihil faciunt aliud quam λογομαχεῖν. Quod noſtro in argumento ſæpius accidiſſe, innumera prope litigantium Theologorum volumina teſtantur. E. G. Divinum jus aliquo limite coërceri, leges eſſe, quibus Numen teneatur, agendi normam ipſi præfinitam dari, ſic ut alio modo ſe gerere nec debeat, nec poſſit &c.; locutiones ſunt, ex humano more deſumptæ, quæ non ſine magna improprietate in Deum transferri queunt; imò neſcio quid, durum dictu, & abſonum, & parum θεοπρεπές, involvunt. Sed quid facias? homines ſumus, & diſſerimus de Deo, re nimirum, quæ Angelicæ mentis captum ſuperat; nedum ut ad humanæ modulum contrahatur. Quid mirum, ſi lingua noſtra, cui

ſæpius verba deſunt, quæ mentis ſenſui proprio reſpondeant, nulla ſuppeditet divinis rebus, ipſum humanum ſenſum ſuperantibus, ſatis adcommodata. Id unum nobis reſtat videlicet, ut balbutiem noſtram, qua melius poterit, ratione corrigamus, & errorem ex infantia ſermonis ortum, quod in nobis eſt, emendare conemur. Aliis atque aliis identidem orationis flexibus uſi, quo ad rem ipſam, tanquam per nebulas conſpiciendam, aditus pateat.

Audi igitur, Lector, quo rem deducam. In confeſſo eſt, Deum omnigenis perfectionibus,. iiſdemque ſummis, ac limitem qualemcunque reſpuentibus, pollere; ex quibus omnibus unam ſi tollas, perit ſimul divina natura, ejuſque notio funditus evertitur. Non magis Deus Ens à ſe eſt, aliunde non pendens, nemini obnoxius, omnipotens, liberrimus; quam eſt immenſa ſcientia præditus. Non magis omniſcius; quam bonus, ſapiens, ſanctus, quam recti & decori amans, quam æqui bonique tenax. Haud temere enim informes animo perfectiſſimam naturam, cui recti leges, quas clare perſpicit, non probentur, aut quæ eas, ſibi probatas, agendo non exprimat. Quod ultimum de Deo ſi prædices, haud mi-

minus ejus naturam tollis, quam ſi immenſum, æternum, omnipotentem, omniſcium, negares. Age nunc, ſi cum ἀνυπευθυνίας aſſertoribus dixeris, Deum pro jure ſuo poſſe fidem creaturis obſtrictam fallere; poſſe hominibus ea imperare, quorum præſtandorum facultatem negaverit; poſſe Creaturas innocentes ad æternos damnare cruciatus; tam in Deum ſis injurius, ac ſi ab aliena cauſa pendere diceres, aut ſapientem negares, aut Omnipotentem, aut æternum; verbo, quam ſi ſemetipſum abnegare poſſe aſſeverares. Si jus faſque Deo eſſe adfirmetur, ab eo, quod jus faſque nobis eſt, id eſt, à legibus quas ipſe noſtris præcordiis inſculpſit, & æternas atque immutabiles haberi voluit, deflectere; perinde eſt, ac ſi Deum tollas ex natura rerum, ejuſque ideam evertas. Certe diſcrimen tunc nullum ſupererit, quo Deum Optimum Maximum à Zoroaſtris Arimanio, aut malo Manetis Principio, ſecernas. Profecto virtutes Dei, ſeu perfectiones morales, mera nomina, & inanes forent ſine mente ſoni; niſi immutabilis quædam agendi norma ipſis Naturæ Divinæ penetralibus hæreret, quæ ex ipſius excellentia & ὑπεροχῇ tam neceſſario fluit, ut non magis Deus ortus ab alio, finitus,

tus, obnoxius, imbecillis, rerum ignarus, concipiatur, quam credi poteſt, extra ingenitam recti & boni amuſſim agendo exſpatiari.

Forte ſupra dictum urgebis, creaturis Deum nihil debere. Verum id quidem; ſed ſibi ipſe debet, ut omnia nobiſcum agat ex æquo & bono. Ipſe ſibi lex eſt, ipſe imperat ſibi; ipſemet vi perfectiſſimæ naturæ huc indeſinenter flectitur. A ſemetipſo deſciſceret, & everteret ſeſe, ſi alio modo ſe gereret. At liber eſt, inquis, omnipotens eſt; utique. Si potentiæ ſolam ideam ſpectes, poteſt (*a*) ſemper Deus non agere, quod agit. Sed ſi jus reſpicias, nullum ejuſmodi datur, quo omnis peſſum eat juris regula; quæ ſi finitis mentibus neceſſario eadem ſemper obverſatur, quanto magis infinitæ. Plane ſibi repugnans theſis eſt & ἀσύστατος, jus aliquod apud Deum ſtatuere, abſque immutabili agendi norma, qua, qui ipſum deceat, ac naturæ ipſius conſentaneus magis ſit, agendi modus, à contrario ſecernatur. Nam legibus ſoluta poteſtas nihil aliud eſt, quam vis ſine ratione,

(*a*) Si Deus vi naturali & inſita non ſemper poteſt aliud agere, quam quod agit, actum eſt de ejus potentia, actum de libertate; ac proinde ipſa perit Dei idea,

tione, id eſt mera tyrannis, aut Leviathanis Hobbeſiani formidoloſum portentum. Qua immanitate non video, quid ab entium abſolutiſſimo alienius fingi poſſit. Eadem nempe Myſtarum hodiernorum nonnulli culpa premuntur, quam vetuſtis vatibus (*a*) hodierna ætas merito objicit, qui heroïca, quæ vocantur, tempora carmine celebrarunt. Quemadmodum enim iſti heroas ſuos à feroci quadam & belluina audacia, aut à robore corporis invicto, tanquam præcipua laude commendant; quaſi eam ſemel adepti, internis animi dotibus, æquitate nimirum, prudentia, continentia, humanitate, ac ſuavitate morum, parvo cum diſpendio, carere potuerint. Quo errore tales Poëtæ legentium utilitati, ac virtutis ſtudio peſſime conſulunt. Sic fere Theologi noſtri tanto majorem Numini reverentiam accedere ſomniant, quanto poteſtatem ejus & vim inexhauſtam, ſupra virtutum moralium decus, altius extulerint, & hoc veluti pondere cætera omnia obruerint. Quo fit, ut officii omnis ratio tollatur, & ſtirps ipſa ſenſim ſuccidatur; adeo ut in Religionis locum ſuperſtitio mentibus obrepat.

Tu

(*a*) Vide Fontenelle, *de l'origine des Fables*, p. 276.

Tu autem, tam ſtrenue divini juris, ut quidem ipſe putas, aſſertor & vindex! Reſponde quæſo, utrum horum bonum cenſes, atque decens; mentiri, fidem fallere, impoſſibilia imperare; tum de illis, qui juſſa non perfecerunt, ſupplicia ſumere; furta, cædes, adulteria, odium proximi præcipere hominibus; an vero his contraria omnia? Si poſterius fatearis, neceſſitate compulſus, fatearis quoque oportet, Deum propriæ naturæ excellentia in id unice ferri, quod per ſe rectum agnoſcitur, idque indeſinenter velle. Quod ſi perfricta fronte obſtines, hæc omnia Deo eſſe ἀδιάφορα, ipſique perinde eſſe, utram ex ambabus agendi rationem potius ſequatur, tum evertis rerum ideas, & eadem opera divinum Intellectum. Cum juris & æqui notiones non minus ſint immutabiles & æternæ, quam Veritatum quarumlibet; neque concipiatur magis, Deum ea, quæ injuſta perhibemus, juſte facere poſſe, quam efficere, ut falſa ſint vera, aut quæ impoſſibilia vocantur, operari. Cujuſmodi deliratio proximus eſt ad Atheïſmum gradus.

Nihil ſimile, dubio procul, Elihu voluit, minimeque id monſtri animo aluiſſe cenſendus eſt. Cujus ſermones ſatis indi-

indicant, quam præclare de Numine ſentiat. Ipſum audi proximo Capite, quid dicat: *Abſit ut improbitas in Fortiſſimo reperiatur, & in Omnipotente perverſitas! Nam ſecundum opus ſuum cuique homini retribuet, & pro ea, quam tenuerit via rependet. Profecto Fortiſſimus hominem frugi improbum non pronunciat, nec Omnipotens pervertit jus.* XXXIV. 10—12. iterum ibid. 17—19. *Num juſtitiæ non amans judicabit mundum! Eumne iniquitatis argues, qui eſt juſtiſſimus? Num Rex audiet ſceleſtus, aut Principes nequam? Quanto igitur minus ille, qui magnatum perſonam non accipit, neque divites anteponit pauperi, cum utrique ſint opificium manuum ejus.* At idem Elihu majeſtatem opportune memorat, quæ facta ſua ad mortalium mentium libellam exigi non patiatur, ut noſtram inſcitiam ſimul & ſtultam audaciam redarguat, qui, quoties divinæ rationes & agendi viæ ad guſtum, aut captum humanum non ſunt, eas ſtatim arrodimus, & iniquitatis poſtulamus. Cum noſtri præcipue officii ſit, idque fidei proprie indoles ferat, qua potiſſimum Viros Sanctos placuiſſe Deo ubique Scriptura teſtatur, ut conſiliis divinis venerabundi adquieſcamus, vias Providentiæ noſtro intellectui parum veſtigabiles longe ſecuti adoremus.

remus. Non quod ſuſpicemur quicquam à Deo fieri poſſe, quod à recti norma abhorreat; ſed quod firmiter perſuaſum animo habeamus, ſi ſua nobis Deus conſilia retegeret, ſi abditos Sapientiæ theſauros aperiret, ſi ingentem univerſi reginis abyſſum permeabilem redderet, tum vero nos in laudem ſapientiæ, juſtitiæ, benignitatis, quæ ibi miris eluceſcerent modis, erupturos. Fingamus ruſticum quendam & idiotam, ab omni civilium negotiorum uſu remotum, dum agello exercendo vitam tolerat, id ſibi audaciæ ſumere, ut aulæ arcana rimari velit. Is ſi Monarchæ in regno adminiſtrando prudentiam vellicet, ſi edicta carpat, ſi conſilia damnet, propriis conjecturis fretus, non tibi ſtultus & inſanus habebitur? Non ſtatim ad raſtra ſua & ligones importunum ardelionem amandabis? Edices, in ſe deſcendat, diſcat ſemet noſcere, & intra ſuos limites ſe contineat? Regem eum eſſe, quocum ipſi contendere nefas ſit, quique factorum & conſiliorum rationem nemini reddere teneatur. Dum vero ſic Ruſtici arrogantiam compeſcis, non ideo tyrannum nobis exhibes, qui nullas leges, jura nulla ſibi data agnoſcat; qui nulla ratione, nullo agat conſilio; ſed de ſapiente principe

cipe conſentanea loqueris. Quæ ſi in terrenum Regem optime quadrant, quanto magis in æternum cadent univerſi Orbis Monarcham. Quo ad rerum clavum ſedente, ejus fidei nos committere, in eum ſumma fiducia recumbere, ei ſalutem noſtram omnem concredere decet, ſemper adorantes, ut *ſolum ſapientem* Deum, & identidem illud Apoſtoli 1.Tim. I.17. ingeminantes: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & cognitionis Dei! quam ſunt ju-* Rom.XI 33-36. *dicia ejus inſcrutabilia! quam imperveſtigabiles viæ! Quis enim novit mentem Domini, aut ei conſiliarius adſtitit? Aut quis ipſi dedit prior, ut rependatur ei? Namque ab ipſo, & per ipſum, & propter ipſum omnia ſunt. Ipſi gloria in æternum, amen!*

Nihil aliud nos docent Scriptores Sacri, dum fidem τῶν μὴ ὁρωμένων tantopere commendant; dum curioſitatem & querelas compeſcunt; dum impatienti animo & procaci linguæ frenos injiciunt; dum ſilenter exſpectare jubent promiſſorum implementum; dum, quod credimus Deo, & in ipſius ſinum noſtram omnem effundimus ſollicitudinem, in maxima pietatis parte ponunt. Id poſtulat nempe divinæ excellentiæ faſtigium, id propriæ tenuitatis conſcientia flagitat. *Actorum ſuorum non reddit ratio-*

 nem

nem Deus, inquit Elihu. Quod minime ſic accipiendum, quaſi Deus æqui & boni regulam ſpernat, neque penſi ei fit quomodocunque ſe gerat. Abſit à veri Philoſophi, procul abſit à Chriſtiana inter cæteras mente, talis impietas! quî enim, quæſo, eas juſtitiæ leges contemneret, ad quas toties provocat (*a*) in Prophetis, dum neglecti officii arguit homines, ſuamque veluti coram iis cauſam perorat? Sed in eo præſertim ſitam ſciamus divinarum perfectionum reverentiam, hoc potiſſimum obſequio gratum Numini cultum exhiberi, ſi quæ ſpecie tenus in adminiſtratione rerum, & divinis juſſibus aut æquitati, aut ſapientiæ adverſari videntur, ea credamus, fidejuſſore Deo, iiſdem tamen eſſe maxime conſona. Sic ſenſit Abrahamus, cum patrium ſolum voluntario exſilio verteret, parens ſcilicet voci cœlitus emiſſæ:
Gen. XII. 1. *Egredere regione tua, paterna domo & cognatione* &c. Cum promiſſa divina, de ſemine benedicto ſuſcipiendo, incredibilitate rei neutiquam deterritus, amplecteretur: Cum ad Oraculi juſſum, mactando filio unigenito accingeret ſeſe;
Ib. XVIII 21. ratus ſcilicet, à *judice orbis terrarum* iniqui-

(*a*) Inter loca bene multa; vide Ezech. Cap. XVIII. Mich. VI. 1—3.

quitatem procul abeſſe. Hinc ejus obſequioſa fides, quæ in cœlum uſque laudibus tollitur. Hinc Moſis animus, Ægyptiarum gazarum ſpretor, nec minus ad Tyranni minas, quam Iſraëlis opprobria imperterritus; quoniam, ut Apoſtolus addit, eum ſpectabat qui eſt inviſibilis. Hinc apud Prophetam piorum ad futura ſuſpenſus, & in cœleſtium decretorum exitum arrectus animus. *Te exſpectavimus, ô Jehovah! in ſemita judiciorum tuorum.* Quoties autem Scriptura Sacra Providentiæ cavillatores pondere divinæ majeſtatis obruit, & Paulino argumento: *Tu quis es, qui reſponſas Deo?* iis os comprimit; neutiquam ad jura, neſcio quæ, provocat juris expertia; ſed mortalium mentes nativæ imbecillitatis admonet, in recenſendis Dei operibus; docens ſimul, quicquid cæcutientes illas falſæ ſpecies deludant, ſuam Deo nihilominus, tum ſapientiæ, tum juſtitiæ, illibatam laudem conſtare. Neque enim, ut optime monet Eccleſiaſtes, homo, licet in ejus corde mundum Deus poſuerit, divinum opificium à principio ad extremum uſque perſpicere potis eſt. Quin & idem confirmat ipſe Deus, è turbine Jobum allocutus Cap. XXXVIII. & ſequentibus. Illam vero orationem, quæ ad frangendam

Hebr. XI 24-27.

Eſai XXVI. 8.

Rom. IX 20.

Eccleſ. III. 11.

male ingenioſorum, in carpendis, quæ ſupra ſe poſita ſunt, hominum ſuperbiam tota eſt compoſita, perluſtra quæſo, verſa animo, meditare, pondera; inde nunquam extundas, in eo ὑπεροχὴν Numinis ſitam eſſe, ut nobis ingenitas notiones veri & æqui, pro arbitrio intervertat, conturbet, perfringat, ſi velit, & nauci habeat.

Videbis contra, ſummam huc redire; ex ſtupendorum naturæ operum contemplatione, quæ Sapientiam arguunt indubitatam artificis, ſed unà tamen noſtris mentibus imperveſtigabilem, æſtimanda eſſe providentiæ arcana; inde judicium capiendum de ejus conſiliis, quæ quoniam ut plurimum nos fugiunt, & altiora ſunt, quam ut humani intellectus anguſtiis capi poſſint, haud ſecius ſapientiſſima ratione, eademque æquiſſima, adminiſtrari verum eſt.

Sed inſtabis forſan denuo, atque dices, tantum abeſſe, ut jus ἀνυπεύθυνον, ſeu nulli adſtrictum normæ, aliquam in notione ipſa repugnantiam involvat, & ab æterna rerum natura & ratione abhorreat; quin contra potius ſtatuendum ſit, eadem illa ratione, rerum & natura, tanquam firmiſſimo fundamine niti; ipſa nimirum Entis ſummi ſupra res creatas omnes

mnes eminentia, qua ſolutum ei & integrum ſit, cum illis pro lubitu agere, illas quo placuerit modo tractare, abſque ulla, quam conqueri poſſint, injuria. Deo equidem fieri injuriam, ſi creaturæ obſequium detrectent, quoniam ſubjectionis ratio id ab iis poſtulat: Creaturis vero, ſi Deus eas, pro arbitrio, male perdat, aut excruciet, injuriam non fieri; quod ipſa majeſtatis & imperii ſummi idea nullos ferat erga ſubjectam naturam agendi limites. Reſpondeo, (nam in re momentoſiſſima danda opera eſt, ut vel minimus cavillationi aditus præcludatur;) te egregie falli, dum exiſtimas Majeſtatem, aut imperium ſummum nullas in agendo leges, limites nullos agnoſcere. Superiorem poteſtatem non agnoſcit, fateor, à qua coërceatur, à qua in ordinem cogi, quam vereri poſſit, cui ſua approbare facta debeat, quæ geſtorum rationem, ſuo quodam jure, repetat. Hæc creaturarum erga Conditorem ſuum propria ſunt, quæ huic in actionibus ſuis vere ſunt ὑπεύθυνοι. Sed aliud eſt, eſſe ὑπεύθυνον, aliud, ſibi inſitam agendi normam, quæ acta omnia dirigit, ἐυθύνει, certa ratione modoque circumſcribit, in animi penetralibus gerere. Quam qui non tribuit Deo, ſimul inficietur opor-

 tet,

tet, Deum intellectu pollere; notiones immutabiles habere apud ſe juſti & injuſti, decori ac turpis; ſapientem, bonum, ſanctum eſſe; quæ cuncta tam bene cum majeſtate conſiſtunt, tam apte ſummo imperio conveniunt, & in una morantur ſede, ut ex iis, unà conjunctis, Entis perfectiſſimi conſtet natura & eſfloreſcat. Profecto, ingens ibi Creatorem inter & creaturas elucet diſcrimen. Hæ etenim omnium, quæcumque æqua, convenientia, pulchra & decora ſunt, non ſolum notiones impreſſas gerunt, ſed ad eadem facto exſequenda, lege Dei, utpote ſuperioris, obligantur; dum ad eadem Deus, nulla ſuperioris lege adſtrictus, aut poteſtate obligatus, quippe qui ne par quidem ſibi quicquam, nedum ut ſuperiorem agnoſcat; longe tamen certius, longe vehementius, quam nobis hominibus eo ferri contingit, ob ſolam Naturæ ſuæ excellentiam, feratur.

Vs. 14. & ſeq. *Semel loquitur Deus, & ſecundo id ipſum non repetit. Per ſomnium in viſione nocturna* &c.] Graviſſimi momenti argumentum ingreditur Elihu, circa varias nempe rationes divinæ providentiæ, in hominibus, à recto aberrantibus, in viam revocandis, atque ad bonam frugem reducendis. Modo Jobum verſu 12mo. teme-

meritatis incuſaverat, quod divina conſilia damnare auderet, eaque audacius carperet, cum Deus, utpote infinitis partibus major imbecillo homuncione, varias habeat agendi vias, ex ſapientiæ penu deprómptas, quarum nobis rationem neutiquam in anteceſſum aperit. Sic enim vertendum Vs. 13. כל דבריו לא יענה nam דבר latiſſimam ſignificationem habet, pro *verba*, *res*, *conſilia*, *negotia* ſumptum. Non ſimul & ſemel, inquit, eas rationes explicat, ſed gradatim, prout uſui eſſe videt, *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως*. Hebr. I. 1. *Nam ſemel loquetur Deus*, (ſic pergit Elihu) *neque bis videbit illud*, ſcilicet, *vir*. q. d. infrequens eſt & rara admodum ejuſmodi in ſomnis admonitio. (Vide ſup. IV. 12. viſionem ab Eliphaſo proditam.) *Inter ſomniandum*, *in viſione nocturna*, *dum alto ſomno ſepeliuntur homines*, *lecto adfixi*. *Tunc iis aurem retegit*, aut rerum intellectum aperit; *atque obſignat*, ſive alte menti imprimit *monita*, *ut virum à malefactis deterreat*, *& tegat elationem à viro*; i. e. ab eo typhonem depellat. *Eripiat animam ejus à fovea & vitam*, *ne per enſem tranſeat*, aut, *à miſſili perimatur*. Hæc vero eſt prima ratio ſanandi peccatores. Secundam jam aggreditur, nempe morbos ipſis immiſſos, Vs. 19. & ſequentibus. *Corripitur*

dolore in cubili ſuo, & omnia valida ejus oſſa concutiuntur. Vertere potes etiam, *percutitur ſuper lecto ſuo plaga.* Horum morborum vim, & diras ſequelas enarrare pergit, ad Verſum uſque 22.

Vs. 21. *Tabeſcet caro ejus: & oſſa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.*] Schultens; *Diſtabeſcet caro ejus præ ſpectro, & oſſa ejus tranſparent, non apparent.* Nimirum שפה *pellucendi* ſignificatione mactat, cum alia *apparendi* ſeu *eminendi*, melior aptiorque huic loco videatur. Longe felicius Codurcus, poſt Hieronymum; *caro, quæ videbatur, evaneſcit, & oſſa, quæ non videbantur, apparent*, ſubaudito אשר.

Vs. 23, 24. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annunciet homini æquitatem: miſerebitur ejus, & dicet; Libera eum* &c.] Aureum hic agnoſce Viri ſapientiſſimi documentum, nequaquam leviter tranſmittendum; illuſtris enim Oraculi inſtar habet, de Chriſto Mediatore. Sed ante omnia ſciendum eſt, noſtra verba, ut in reliquis fere priſcæ illius ætatis Oraculis evenit, ſub obvii ſenſus nucleo, præſtantiorem longe, tanquam medullam reconditam, gerere. Nequaquam enim exiſtimare oportet, aut Elihuum, aut ipſum Jobum, eam Redemtoris generis humani ideam mentibus infor-

formaſſe, quam nos in inſtitutionibus Theologicis, ex Evangelio hauſtam, edocemur. Sic nempe de Mediatore nunc loquitur Elihu, uti ſupra Capite XIX. de reſurrectione mortuorum Jobus. Ipſe ignarus myſterii per ſæcula abſconditi, & aliam prorſus rem agens, ſed Spiritu divino ſic mentem & verba moderante, ut ſub primo ſenſu, bono illo quidem & vero, atque ad rem præſentem accommodato, oculis uberiori divinorum lumine perfuſis, alter longe præſtantior traluceat. Certe nequaquam conceſſerim de mero hîc Angelo ſermonem eſſe, ut RR viſum, quod merito rejicit Codurcus: quò tamen parum facit Abimelechi Hiſtoria, ad quam hoc loco adluſum putat; quod enim Abimelechum Deus in ſomnis, increpaſſe legitur, & deinde ſanaſſe, nihil vetat, Angeli opera factum fuiſſe. Geneſ. XX. Pontificiorum quoque noſtrum locum miſere vexantium, ut inde ſcilicet Angelorum cultum (*a*) fulciant, laborioſas nænias valere jubeo. מלאך מליץ eſt ſimpliciter *Orator*, *Interpres*, *Internuncius*, qui ultrò citro-

(a) *Inſignis is locus eſt*, ait Vavaſſor, *tum de Angelorum interceſſione*, *tum de bonorum operum meritis*. Talia profecto argumenta venditanti, oportet plane frontem perisse.

citroque mittitur, ut lites componat, atque diſſidentes mutuo in gratiam reducat. Ex præcedentibus quoque & ſequentibus manifeſtum eſt, Elihuum id ſibi muneris ſumere (*a*), atque internuncii partes gerere. Is enim hinc Jobum ſui officii admonet, ac ſerio ut reſipiſcat, à Deo, ſi quid erraverit, veniam petat, omnique ſuperbia & propriæ juſtitiæ opinione dimiſſa, caſtigationi ejus ſe ſubmittat, cohortatur: inde Dei nomine, ſi pareat monitis, veniam, miſericordiam, malorumque depulſionem, & in integrum reſtitutionem pollicitus. Vide infra XXXIV. 31, 32. Nec ſuperbiæ argui poteſt, ſi id ſibi arroget, quod Prophetis omnibus, imo cuivis ordinario Dei miniſtro, jure competit. At, dices, majus quid ſonant ſequentia, quam ut in ſimplicem hominem cadant, planeque Mediatori θεανθρώπῳ congruunt. Optime ais, ideoque Elihuum, ψίλον ἄνθρωπον, cum Chriſto mediatore conjunctim hîc exhiberi con-

(*a*) Vide ſupra Vs. 6. ibique notam Codurci. Quæ Elihu de internuncio diſſerit, tam apte congruunt Hiſtoriæ Regis Ezechiæ ægrotantis, & per Eſaïam admoniti, poſtea convaleſcentis à morbo, & in integrum fuſis ad Deum precibus reſtituti, ut opinati ſint multi, ad hoc factum adludere noſtrum Scriptorem. Quam Opinionem acriter propugnat Doctiſſ. Warburton *Div. Legation.* p. 499.

contendo, tanquam typum cum antitypo. Ea enim eſt hujuſmodi Oraculorum indoles, ut aliquid expingant, quod quidem rebus, perſonis, temporibus, quorum occaſione prolata ſunt, ſatis commode aptari poſſit, ſed ita, ut ex vi verborum intenſiſſima & magniloqua ſimul appareat, remotius aliquid & majus intendi, cui magnificus ille apparatus examuſſim quadret. Supervacua igitur Interpretum controverſia, num ſimplex homo, an Angelus ipſe fœderis intelligendus; cum utrumque ſimul, non quidem Jobi coætaneis, ſed Chriſtiano Lectori, obverſari neceſſe ſit. De Elihuo ſatis diximus; nunc de Chriſto. Is nempe eſt מלאך מליץ, ſummus Doctor Religionis, divini, de ſalute hominum, conſilii Interpres, atque Dei hominumque (a) fidus internuncius, *unus è mille*; id eſt, ex ipſa vi locutionis, talis, qui cæteros omnes voluntatis divinæ Interpretes, quotquot antea viſi ſunt, unus antecellit. Vide Hebr. I. 1. Is indicat homini ישרו *rectitudinem ſuam*, id eſt, omnia quæ ipſum decent officia, quibus Deum demereri poſſit, atque apud ipſum juſtus haberi. Vide Rom. IV. 3; fidem nempe, pœniten-

(a) Vide I. ad Tim. II. 5.

tentiam, accuratam morum ſanctimoniam. Is eſt, cujus interventu, & oblatione ἱλαϛικῇ atque impetrabili, Deus peccatoris miſertus, eique propitiatus, eum jubet à fovea redimi, quoniam λύτρον, redemptionis pretium, כפר invenit. Cæterum verba verſus 24$^{ti.}$ *Libera eum ne deſcendat in foveam*, ambiguum an ipſius Dei ſint, ad Angelos juſtitiæ miniſtros, quos nonnulli Interpretes per ממיתים verſu 22. quod *interfectores* vertunt, volunt intelligi; an vero paracleti ſeu מליץ. Ultimum prætulit Codurcus, reddens ויחננו *& ſupplicabit ipſi*; Deo ſcilicet Angelus. Recte, meo judicio; eſt enim duplex Mediatoris officium. Primo, ut homini divina mandata perferat, eumque de officio ſuo commoneat: deinde, ut ipſi Deo commendet preces & pœnitentiam peccatoris, ac pro eo oret. Hoc ſenſu, ſequentibus verbis; *redime illum, inveni lytron*, Angelus Deum alloquetur, quod aptius. Nam Deus eſt, qui lata ſententia peccatorem ab exitio revocat, permotus λύτρῳ illo, כפר, quod reperit, ac de ſuo ſolvit Mediator, αἰωνίαν, ut Apoſtolus ait, ad Hebræos IX. 12. λύτρωσιν εὑράμενος. Porro, Mediator Chriſtus beneficia cœleſtia non ſolum impetrat, ſed confert hominibus, ſic ut viva ſpe regeniti,

&

& divino Spiritu penitus renovati, divinæ naturæ fiant participes. Adi loca Epheſ. I. 3.; $1^{ma.}$ Petri I. 3.; $2^{da.}$ I. 4. Ea autem, typico quaſi velo ſuperducto, adumbrata in fortunarum inſtauratione, & ex morbo ſanatione, quam amico Elihu pollicetur, verſibus 25—30. Quæ magis ad litteram pertinent, & præſentem hiſtoriam. Conſimilia leguntur Pſalmis CIII. & CVII. Confer cum verſu 25. hujus Capitis Pſ. CIII. 3, 5. & CVII. 17, 20. quæ plane Elihui verbis congermaneſcunt. Sed voces פרע & כפר, eidem filo innexæ, majus quid & ſublimius innui arguunt. Nec tantum docent, in genere, reſipiſcentiam, propulſandis iræ divinæ flagellis, efficaciſſimum eſſe remedium, nec providam Dei ſolum, circa nonnullos peccatores, curam tangunt, prudentem iis monitorem ſubmittentis, ut ab errore revocet, vitam moreſque in melius mutare ſuadeat, & Numen ſincera pietate placare; ſed auguſtiorem illam œconomiam aperiunt, quæ in generis humani per Chriſtum redemptione poſtmodum eluxit. Fallitur Codurcus, quando מצאתי כפר æquipollere docet τῷ מצאתי חן. Nam primo כפר proprie *redemptionis pretium* ſonat, non *gratiam* aut *favorem*. Deinde verba illa, ſubnexa poſtu-

ſtulato; *redime illum, ne deſcendat in foveam*, rationis inſtar, qua illud poſtulatum nititur, ſignificare debent; *reperi*, aut *de meo ſolvi pretium redemptionis*.

IN CAPUT XXXIV.

Vs. 6. *In judicando enim me mendacium eſt.*] Genevenſis verſio: *Je ſuis menteur de mon droit.* Obſcure, ut & verſio Schultenſiana; *Super judicium meum mentior.* Melius Anglica per interrogationem; *Should I lie againſt my right? An mendacio jus meum everſum irem?* Id recta ſenſum ferit. על משפטי אל אכזב. Aliæ omnes contortæ & violentæ. Jobus plus ſemel dixerat; *Non derelinquam juſtitiam meam, aut jus proprium abjiciam; nunquam ipſe mihi deero.* Quod non minus recte, quam animoſe, prolatum, ex innocentiæ ſuæ conſcientia, à Viro integerrimo. Id vero nunc Elihu in arrogantiæ & præfractæ audaciæ crimen arripit. Quod οἱ O reddunt ἐψεύσατο *in judicio Deus*, pura puta blaſphemia foret, Jobo, cui nil ſimile excidiſſe ſupra oſtendimus, per calumniam à mitiori Elihui ingenio abhorrentem, impacta. Quod Codurcus vult poſt Grotium; *in judicio adverſarium meum falſi convincam*, quamvis אכזב tranſitivo ſenſu poſſit

poſſit ſumi, modo de Amicis intelligatur, ut debet, nihil adeo immane continet, ut id merito Elihuus carpere poſſit. Præterquam quod cum ſequenti colo; *lethalis eſt ſagitta mea*, minus commode nectitur. Tertia interpretatio Schultenſio memorata, quæ pro *Anuſch*, legit *Enoſch*, eo ſenſu; ſe, Deo judice, de adverſariorum calumniis victoriam facile reportaturum; nihil culpandum habet, verum hoc ipſo, ut judicioſe Commentator obſervat, nulla eſt. 4ta, quæ ſic habet, *de meo jure aut cauſa mendax habeor, quaſi injuſte me tuear, itaque tyrannice, quo jure quave injuria, condemnor*, vim verbis infert manifeſtam. 5ta, quæ eſt Druſii; *in jure meo fallor*, id eſt, ſpe fruſtratus ſum, ſatis eſt acuta, niſi repugnaret activa τῦ אכזב ſignificatio. Igitur, cæteris dimiſſis, ad primam redeundum, quæ ſic commode orationem nectit: *Nunquam faciam, ut juſtitiam abnegem, aut prodam, meæ cauſæ, neque unquam ab ea querela dimovebor, me inſontem plecti, & nulli culpæ adſinem lethali plaga affici.* Atque ob hanc inexpugnabilem propoſiti pertinaciam, quæ ipſi intoleranda audacia videbatur, Jobo dicam impietatis ſcribit Elihu.

Vs. 9—11. *Dixit enim: Non placebit Vir Deo* &c.] Nemo felicius Schultenſio

ſio mentem Elihui, ſcopumque tota ejus diſputatione intentum, explanavit. Mediam quandam ſcilicet is viam tenet; & quid de Jobo, ejuſve meritis ſtatuere debeat, judicii anceps, id unum contendit, prave Jobum eſſe locutum, aliterque quam virum pium deceat, ac Dei timentem, quando innocentiam ſuam omnimodam præfracte aſſeruit, ſeque immerito plecti, & inique ſecum agi à Deo, quiritatus eſt. Notanda imprimis ad verſum 9num opportuna doctiſſimi Interpretis in Schmidium ſtrictura, dixerat is, non aliud velle Elihuum, quam quod conſequenter hoc dixerit Jobus; hoc eſt, id dixerit, ex quo hoc conſequitur &c. Sic nihil eſſe, quod in Elihu, bono diſputatore, & per Spiritum S impulſo, reprehendatur. Optime Schultenſius contra: *Non ſenſit Vir doctus, in ſe ictum recidere. Si enim, quod hypotheſis ejus ubique fert, Elihuus Jobum agnovit pium, juſtum, non aliud diſputantem, quam minus concinnum ſibi videri ordinem ſalutis; jam nimis acrem horum temporum Theologum ſe dederit Elihuus, qui fratrem onerare auſus fuerit conſequentiis, quas eum toto pectore deteſtari, exploratum habebat.* Aureum, ita me Deus amet, monitum, & cedro lini dignum! Quod noſtra non minus ætate, quam præteritis,

teritis tempeſtivum, ejuſmodi Theologorum ferace, quibus id calumniandi genus inolitum, & velut à teneris imbibitum eſt. Egregia ſunt quoque, quæ ſubdit Vir Clariſſimus: „ Agnoſcimus & nos Elihuum bonum diſputatorem, non im-
„ mediate quidem à Spiritu S. impul-
„ ſum, ſed mediate, id eſt ad lucem ve-
„ ritatis & doctrinæ ſanæ, cum pio zelo
„ & adfectu; ita tamen, ut nonnulla
„ ignoraverit, & ad rem diſputando,
„ rem ipſam nihilominus tangere non va-
„ luerit, nedum quæſtionem intricatiſſi-
„ mam." Addimus porro, ex noſtra hypotheſi, Elihui perſonam cum ad divini hujus Poëmatis varietatem & decus conferre plurimum, tum ad intimam quoque ejus conſtitutionem valde pertinere. Poſteaquam enim Triumviri, inconſulto impetu abrepti, atrociſſimis ſuſpicionibus non ſolum, ſed diſertis criminationibus, Viri integerrimi famam proſciderunt, parvo ſententiarum diſcrimine, quartus actor inducitur ſapientior reliquis, qui nova & cautiore methodo Jobæi caſus enucleationem aggreditur. Indubitata enim ſunt, quæ docet, neminem dari inter homines adeo juſtum & pium, qui non ſæpius in Dei leges offenderit: neminem, qui propriæ innocentiæ conſcien-

 tia

tia fretus, adfirmare auſit, ſe divinæ caſtigationi minime obnoxium; aut queri poſſit, ſibi quæ contigerint, ærumnas immerenti accidere. Ne ipſi ergo quidem Jobo licuit, ſi res ad exactiſſimam trutinam appendatur. Non peccavit igitur Elihuus, ſic opinando; unde fit ut nullius delicti poſtmodum coarguatur. Opinione ſua falſus eſt tamen: talis non fuit calamitatum Jobi cauſa, ſed longe diverſa, quam hiſtoriæ exordium indicat. Quod autem non minus Elihu, quam cæteri, à vero aberrarit, licet probabiliorem conjecturam afferret, & veriſſima doctrina fultam, inde tanto clarius elucet id, quod S. Scriptor hoc libro præcipue intentum habuit; ſcilicet, quam parum cernant homines in occultis Providentiæ rationibus, quibus tutius acquieſcitur, quam in eas curioſo animo inquiritur.

Vs. 13. *Quem conſtituit alium ſuper terram?*] Variæ quæ adferuntur interpretationes, ſpecie non carent. Refert Schultenſius ad hominem, cui terrenarum rerum dominium Dei indultu obtigit. Melius tamen de Deo intelligitur, de quo verſu præcedenti (nam איש verſus 11mi remotius) & aptiori cum ſequentibus nexu. Alioquin ultimum colon, ומי שם תבל כלה pendulum eſt & incohærens. Vincat

cat igitur ſententia Clerici, ſic explicantis; à nemine terræ curam Deo mandatam, ſed jure creationis eam ipſius imperio ſubjici; unde nemini rationem adminiſtrationis ſuæ reddere tenetur. Omnino repetendum עליו, ante תבל כלה.

Vs. 14, 15. *Si direxerit ad eum cor ſuum, Spiritum illius & flatum ad ſe trahet. Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem revertetur.*] אם ישים אליו לבו, *ſi apposuerit cor ſuum.* Phraſis Hebræis uſitata, quæ & in bonam, & in malam partem, pro re nata ſumitur; quemadmodum latina ἰσοδύναμος, *animum ad aliquem adtendere.* Hic ſollicita judicis cura intelligitur, qui ſceleſtis animum intendit, ut ab ipſis meritas pœnas repetat. Satis bene LXX. quod ad ſenſum. εἰ γὰρ βούλοιτο συνέχειν καὶ τὸ πνεῦμα παρ᾽ αὐτῷ κατασχεῖν. *Si ſuſtineat ſe Deus, & apud ſe retineat Spiritum.* Adludit ad Geneſ. II. 7. ubi dicitur Dominus ſpiritum vitalem Adami naribus inſufflaſſe. Unde Pſal. CIV. 29, 30. de animantium genere univerſim loquens Pſaltes: *Auferet ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Quorum ſenſum ſic ſcite declarat Boſſuetus in notulis: *Mittis vim tuam, qua omnia ſuſtentantur; vel:*

Excurſus de conſervatione rerum. Num ſemel conditæ à Deo indeſinenter creentur?

vel : *Etiam deſtructa ſtatu inſtauras.* Nihil autem faciunt aut Pſaltis verba, aut Eliuhi, ad Scholarum placitum de conſervatione creaturarum, quaſi perpetua foret, & ſingulis momentis velut inſtaurata creatio. Longe aberrant à vero, mea quidem ſententia, qui ejuſmodi otioſorum ingeniorum acumina auctoritate S. Codicis muniunt, aut ex ea ventilatas apud Philoſophos, minore fructu quam ſubtilitate, controverſias decidere ſatagunt. Docet nimirum Scriptura, quæcunque à Deo condita ſunt, ſic ab ejus nutu pendere, ut, quemadmodum ea produxit ex nihilo, eadem, modo velit, protinus in nihilum ſint reverſura. Docet porro, res omnes, uti Deo ortum ſuum debent, & ab ejus omnipotenti vi fluxerunt, ſic ejuſdem providentia ſuſtentari, adminiſtrari, regi. Speciatim animalibus tam fabra elaboratis induſtria, vitam, incolumitatem, alimoniam, quicquid denique earum uſibus aptum, uniuſcujuſque indoli accommodatum, variis naturis opportunum, affatim ſuppeditari. Sed eadem nuſquam declarat vim creatricem, per quam ſemel ex nihilo emerſerunt ſubſtantiæ ſeu corporeæ, ſeu ſpirituales, quolibet earum durationis puncto iteratò exſeri; adeo ut ceſſante

tan-

tantiſper, aut intermiſſa actione divina; eæ in nihilum neceſſario redeant. Quod recte rem putantibus, à vera ratione abhorret. Enimvero ipſe creandi actus, quo res, quæ nondum erant, veluti ad exiſtentiam vocat Deus, individuus eſt, nec initium ejus, aut finem, aut partem mediam, ne cogitando quidem, diſtinguere valeas. Quis enim, quæſo, mente concipiat, rem quandam ſenſim & gradatim creari; adeo ut partim ſit, partim non ſit, aut ex nihilo dimidiata emerſerit? At è contrario res, quæ exiſtentiam adipiſcitur, eo ipſo durationis, quæ partibus à ſe invicem diſtinctis conſtat, capax ſit; & ob id ipſum, quod cœpit exiſtere, porro exiſtere pergit. Si qua enim res, ſublato creationis actu, ad nihilum ſtatim redigeretur, ea nunquam vere exſtitiſſe, vere condita fuiſſe dici poſſet, eademque ſimul eſſet & non eſſet. Nam quicquid revera eſt, aliquod temporis ſpatium, majus minusve, implere intelligitur; ac proinde durat plus minusve. Niſi forte ſubſtantiæ umbram ſolum, aut Entis fallacem ſpeciem, non verum Ens à Deo conditum, ſtatuis.

Fruſtra regeras, creationem & conſervationem rerum uno individuo actu contineri. Quæro enim, num Deo integrum

non ſit, quoties ipſi viſum erit, rem conditam è medio tollere, quod non aliter fieri conſtat, ex tua ſententia, niſi ceſſante omnino actione creatrice. Quid vero tum fiet? Quæſo; ut res illa nunquam fuerit? Actio creatrix non exſtiterit? Sed factum infectum fieri nequit. Fiet igitur, ut, quod exiſtere cœperat, jam exiſtere deſinat, & creatoris actus in medio curſu præcluſus ſubſiſtat. Unde patebit, illum tuum conſervationis actum minime individuum eſſe; ſed in repetitorum actuum, à ſe invicem diſtinctorum, ſeriem reſolvi. Teneamus igitur, quando aliqua res divina ſemel efficacia cœpit exiſtere, eam neutiquam ſecundo actu egere, ut in exiſtendo perſeveret. Quod porro exiſtat ſingulis momentis, id conditori acceptum fert, ſed quomodo? Mediante nimirum creatione, cujus conſequens eſt, Entis conditi duratio; niſi Deo libitum fuerit, quod ſemel condidit, in nihilum iterum redigere actu contrario, nec minus efficaci. Unius enim omnipotentiæ eſt, à ſe condita evertere. Utrumque ei æque operoſum, aut potius æque facile, cenſendum. Quis enim dicat, majorem vim requiri ad educendum ex nihilo, quod nondum erat, quam ad efficiendum, ut, quod

reve-

revera erat, amplius non ſit. Quod ultimum licet ſapientia forte vetet, at infinita potentia ſibi tamen ut proprium vindicat. His adde, quoties Deus circa corporeas creaturas, aut incorporeas, operatur, & quidem modo, qui diverſis earum naturis apprime congruit, in quo divinæ providentiæ ratio omnis & adminiſtratio verſatur, id nullatenus concipi poſſe, niſi naturæ variæ, quas primitus acceperunt, extra operationem illam perennare ſtatuantur. Quod ſi aliter exiſtimes, & quicquid agit Deus, in actum reſolvas perpetuæ creationis, tum revera Leges Naturæ omnes, omnem Dei ſapientiam, gubernationem, in rebus adminiſtrandis providentiam, eadem opera tollis. Mihi forte dices, creaturas, quoniam à ſe non habent, quod ſint, ſed à Deo mutuatitiam veluti exiſtentiam ſumant, per ſe ad nihilum vergere, in illud, quolibet momento, niſi potentiſſima manus ſuſtineat, recaſuras: ſed parum dextre rem accipis. Entia enim, quæ contingentia vocamus, cum talia ſint, ut eorum naturæ nulla inſit exiſtendi neceſſitas, & æque exiſtere, concipi poſſint, ac non exiſtere; ad amborum neutrum ſponte inclinare cenſenda ſunt. Illa equidem fateor, dum non-

 dum

dum exiſtunt, nunquam in rerum naturam emergent, niſi divino imperio compellente; ſed quando ſemel ſunt exorta, propter iſtam, quam modo diximus, ἀδιαφορίαν, nulla iis propenſitas adſcribi poteſt, qua in nihilum tendant, nulla vis, qua divinæ potentiæ opus deſtruere, aut irritum reddere queant. Nec, quemadmodum gravibus corporibus accidere experimur, quæ niſi manu ſuſtineantur, deorſum cadere neceſſe eſt, ſic repetita opificis ἐνεργείᾳ creaturæ egent, ut caveatur, ne, non perpetuo ſuſtentata, ac velut conſtricta, in auras evaneſcant.

Multa equidem hîc nobis contra objici ſentio. Ac primum quidem ajunt, ſic res creatas Dei imperio & poteſtati ſubduci, quæ, eo etiam non volente, aut opem ullam præſtante, gradum ſuum & locum in mundo tueantur: ab ipſo quidem ſic agnoſcentur originem ſuam repetere; at exiſtendi perpetuitatem quodammodo à ſe habebunt, non à divinæ voluntatis efficacia. Tum inde ſequetur, ſi qua res diuturnior ſit reliquis, ſibi amplioris ævi uſuram acceptam referendam, minime autem Deo, aut divinæ voluntati, adſcribendam eſſe. Quæ omnia impium neſcio quid ſonare videntur, ac divinæ Majeſtati, noſtræque erga ipſam ſub-

ſubjectioni multum derogare. Sed facile objecta hæc, ut ſpero, à nobis diluentur, & omnis, ni fallor, eximetur ſcrupulus. Sciendum enim 1°, quemlibet potentiæ actum voluntatem operandi conjunctam habere; ſed non itidem, ubicunque voluntas eſt, ibi actionem ineſſe, aut operandi actum. Quæcunque nimirum Deus vult, ea non ſtatim operatur. Exempli gratia, ſerio vult ut peccatores reſipiſcant, ſuis legibus obediant &c.; nec tamen huic voluntati, vis gratiæ vorticordia, quæ reſipiſcentiam ingeneret, aſſidua ſemper comes eſt. Sic, quas ſemel creavit, ſubſtantias vult, procul dubio, ut in exiſtentia perſtent: Sed nihil aliud eſt ea voluntas, præter decretum aut firmum propoſitum, eas in nihilum non redigendi. Apprime ergo duo hæc diſtingui oportet; voluntatem nudam, ab operandi efficacia. Certe, cum Deus optime ſciat, quid ex operatione ſua neceſſario ſequatur, conſectaneum illud velle cenſendus eſt, non itidem operari; quoniam novo actu, ut ſit, minime eget. Sic voluntas ſæpe ultra operationem ipſam porrigitur. Probe novit Deus ſubſtantiam à ſe conditam porro exſtituram, niſi virtute ſua eam in nihilum redigat. Quamdiu igitur talem actum prohibet,

 tam-

tamdiu illam fovet, vultque exiſtere. Atque ea voluntas, ab omni actu phyſico ſecreta, conſervationis cauſa recte cenſetur. 2°. Interim certiſſimum remanet, creaturam ſingulis durationis momentis ideo tantum exiſtere, quoniam ſic Deo viſum eſt; & quidem duplici de cauſſa: 1ª. quia ſingula ipſi exiſtendi momenta primo illo creationis tanquam principio & fundamento nituntur. 2da. Quia quolibet durationis puncto Deus exiſtentiam, quam indulſit, auferre pro arbitrio poteſt. Quali dependentia an ulla major cogitari queat, non video. Quidni igitur verum ſit, ex mero Dei beneplacito fieri, ut creaturæ in exiſtendo perſeverent, quando poteſtatem habens, eas quo velit momento, evertendi, actu tamen ſoſpites velit. 3°. Fruſtra objici vides, ſic longioris durationis curriculum, quo una creatura, præ aliis, gauderet, Dei beneficio adſcribi non poſſe; gratuitus enim favor agnoſcendus, quod priori intereunte, poſteriorem ſupereſſe velit; id eſt, eam nolit in nihilum redigere una cum priore. 4to. Satis ex doctrina, quam aſſerimus, cauſæ Paulus habuit,
Hebr. ut diceret, *Deum ſuſtentare omnia verbo ſuo*
I. 3. *potenti.* Abunde utique notum eſt, S. Scripturam interdum figurate loqui, & ſtylum

lum ſæpe ſuum ad vulgi captum attemperare; ac proinde inepti ac præter ejus mentem putide ingenioſi interpretis foret, inde elicere, à Deo per iteratos actus creaturas prohiberi, ne in nihilum recidant; quemadmodum nos repetitis conatibus globi alicujus caſum ſuſtinemus. Cætera, quæ adferri ſolent, Scripturæ loca (*a*) ſpectant manifeſto providam Dei curam, qua Mundum adminiſtrat, ratis legibus gubernat, creaturis undequaque proſpicit. Eas præſertim, quæ ſenſu præditæ ſunt, conſervare dicitur, quando vitam tuetur, alit, pluribus inſtruit & beat commodis. Quod multiplici operatione eum efficere, haud dubium eſt. 5to. Nullius igitur ſententia noſtra, aut potius illuſtrium Virorum, quorum veſtigiis inſiſtere gaudemus, periculi ſuſpicione premitur. Nihil quidquam habet, quod S. Scripturæ adverſetur, aut debitum Numinis honorem lædat, aut pietati tantillum officiat. Per eam ſumma, quæ Deo debetur, reverentia, tum intimus noſtræ imbecillitatis ſenſus, ſides denique circa Providentiam, cui omnia immediate ſubſunt, quæ cuncta vigili

(*a*) Ut Pſ. XXXVI. 7. CIV. 27-30. Pſ. CXLV. 14-16.

vigili oculo luſtrat, quæ ſumma, ima, maxima, minima ſuo imperio continet, ſarta tecta ſervantur. Unum reſtat incommodum, nævus unus, quem ipſi exprobrare poſſis, nempe quod valde diſſonet à Thomiſtarum meteorologiis circa *concurſum* Dei, & *præmotionem* ut vocant *phyſicam*; unde fiet, ut nonnullam forte ex ſupra dictis offenſionem capiant inter Theologos, quicunque adhuc Scholæ magiſterio mancipati, ejus acuminatas deciſiones Religioni infercire ſtudent, & meticuloſis ingeniis obtrudunt, quaſi totidem eſſent ſalvificæ fidei Capita. 6to. Tantum vero abeſt, ut ea ſententia, quam propugnamus, formidoloſum aliquid contineat, aut unde Religioni ac pietati labis quicquam metuendum ſit, ut contraria potius à periculo non abeſſe videatur. Profecto ſi ſtatuis, Deum actu ſuo omnipotenti per ſingula momenta denuo creare mentes noſtras; id eſt, earum ſubſtantiam, una cum omnibus, quibus adficiuntur, modis; tunc libertatem à nobis procul exulare neceſſe eſt; neque amplius homo propriarum actionum cauſa dici ulla ratione poteſt. Nullo quippe tempore vere agere intelligitur, qui ſingulis momentis, quodcunque ipſi prius inerat, à Creatore denuo accipit, atque adeo

adeo, nullo non labentis ævi articulo, ſeſe habet mere paſſive. Neque magis is vere agere dici poteſt, cujus quæ vocatur actio, à Creatoris potentia, tanquam cauſſa effectrice, proficiſcitur. Omnino ſic eſt; quantum ſummo Enti nos homines ſubjiciamur, quam ab eo pendeamus toti, nunquam ſatis ore prædicari, aut animo agnoſci poteſt. Sed vero placitum illud, quod ſic omnia Deo tribui vult, ut nihil nobis efficiendum relinquat, nihil adſcribi patiatur, licet pietatis quadam ſpecie ſe commendet, cavendum ne Religionem labefactando, ipſam pietatem convellat, dum divinæ virtutis opificia in meras larvas atque umbras inanes convertit, ac de univerſo moralium Agentium regimine, quod cogitatu horrendum foret, merum oſcillorum luſum facit, & neſcio quas ἀγαλμάτων νευροσπαστῶν præſtigias. Iterum dico, ne quis hîc ſibi calumniandi anſam repertam autumet; conſervat creaturas Deus, quas prius condidit, & qua ſemel voluntate ipſis initium exiſtendi poſuit, eadem in exiſtendo perſeverare jubet. Ne per temporis apicem quidem, ſi Deus abnueret, vita, eſſentia, facultatibus quas indulſit, nos homines frueremur. Unde patet nos duplici nomine ei omnia debere.

bere. Meminerimus tamen nos eos eſſe, quibus leges dedit, à quibus obſequium, honorem, cultum debitum exſpectat. Ex quo etiam conſequitur, arbitrium nobis quoddam propriarum actionum permiſiſſe; adeoque ſic ſibi ſubjectos habere, ut vere facultatem conceſſerit eligendi, quid potiſſimum agere velimus; ſic ut, ſeu jubenti pareamus, ſeu juſſa ſpernamus immorigeri, factum utrumque nobis imputari æquum ſit; nec ipſiusmet Dei, ſed noſtra ipſorum actio cenſenda. Quæ cum utrinque & Rationis & S. Scripturæ indubitato teſtimonio nitantur, dictu haud difficile erit, utra circa Creaturarum conſervationem ſententia, an vulgo recepta, an vero noſtra, quæ magnis quoque, ut ne ſis neſcius, Lector! ſe tuetur auctoribus, pietati magis conſentanea ſit habenda.

Vs. 17. *Numquid, qui non amat judicium, ſanari poteſt?*] Optime cum Genevenſibus Clericus; *An judicium odio habens etiam dominabitur?* Sic quoque verſio Anglica, *Shall even he that hateth right govern?* Tutius enim ſic Hebræa redduntur, quam ſi יחבוש *ſanandi*, aut *obligandi vulnus* ſenſu ſumas; aut, cum Schultenſio, ad Jobum referens vertas; *An naſum oſor judicii frenabit?* Id eſt, an iram comprimet Jobus?

Quî

Quî enim *oſor judicii* compellari poteſt, qui, ſecundum Schultenſium, jus ſuum conculcari, & juſtitiæ leges ſperni conqueritur ab ipſo Deo? At ſi hoc Deus revera faceret, tunc ipſemet oſor foret juſtitiæ, quod de ſupremo Mundi rectore, monente Elihu, cogitare nefas. Tum is flexus; *An naſum Jobus, oſor juſtitiæ, frenabit? & num juſtum præpotentem, ô Jobe, condemnabis?* Quam durum ſimul & languidum! quam elumbe! quam nullo nexu! Omnino hîc חבש *gubernandi*, omnia ſub imperio ſuo *continendi* & *coërcendi*, vim habet, ut certiſſime habet Eſaïæ III. 7. Quod ex ipſo contextu indubium eſt; & à LXX. Viris agnitum, qui reddunt; οὐκ ἔσομαί σου ἀρχηγός. Id egregie oſtendit Codurcus. Ultima pars verſus cum ſequente, primorum verborum ἐξήγησιν, aut amplificationem continent, nec de ſenſu ambigere ſinunt. Unum idemque ibi & in ſequentibus argumentum urgetur; ſummi ſcilicet imperii comitem indivulſam, eſſe juſtitiam; nec fieri poſſe, ut, qui omnia condidit, digeſſit, ordinavit, eademque tuetur, atque adminiſtrat, juris quoque & æqui non ſit ſervantiſſimus.

IN

IN CAPUT XXXV.

Vs. 5. *Suſpice cœlum & intuere* &c.] Mire hîc ſe torquet Clariſſ. Schultenſius, ac divitis ingenii ſinus omnes excutit, hinc ut Jobum ab impietatis nota immunem præſtet, inde ut Elihuum à calumnia abſolvat. Et digna ſunt obſervatu, quæ Commentarii pag. 979. leguntur. Theſes ibi, quas Elihu convellendas ſumpſit, vocat audaciſſimas, easque ſic effert: *Juſtitia mea præ Dei:* &, (a) *quid proderit religioſum Dei cultorem vixiſſe, potius, quam peccatorem egiſſe, nullo ſcrupulo ulla in re retentum?* Parum decora hæc, profecto, & religioſa. Vide jam, quam miris artibus talia ab ore Jobi profecta, excuſare aggreditur. „ Hæc ex animo, „ inquit, id eſt, ex ſenſu interiore cor„ dis puri, Deoque indivulſim adhæren„ tis, vel inter tormenta & cruciatus „ neutiquam dixerat Jobus; ſed tantum „ ex affectu conturbato, & doloribus „ ſimul, ſimul criminationibus injuſtis „ amicorum irritato. " Feſtivum! negatur Jobus ex animo, adeoque ſerio dixiſſe, quæ vis doloris, atque vehementioris

(a) Ipſiſſimæ ſunt profanorum querelæ, apud Malachiam Cap. III. vs. 14, 15.

tioris affectus conturbatio dicere adegit? Fingebat, credo, & vera animi ſenſa diſſimulabat! Num is propterea extra culpam ponendus, ipſive minus tribuendum, quod minime joco dixit? Aut minori ideo jure, quam diſerte protulit, impietas refellitur? Quod dolore percitus eam emiſit, quod affectu perturbatiore abreptus, id excuſationem habet nonnullum, nec confundi meretur cum præfracta impietate hominis qui talia ſedata mente, meditatus, nulla vi exſtimulante, in medium protulerit. Nihilominus tamen Jobus caſtigandus fuit, & ab impio errore, quæcunque huc illum cauſa impulerat, ad ſaniorem mentem revocandus. At audi adhuc aliquid feſtivius. Negat Clariſſ. Interpres ex ſenſu cordis puri, Deoque adhærescentis profecta. Quaſi vero inde proficiſci potuerint theſes, huic ſenſui è diametro contrariæ; Deo, Providentiæ ejus, omni adeo Religioni manifeſto injuriæ, quæque ejus reverentiam prorſus ex animis tollere aptæ ſint. *Adfectus*, inquis, *commotior ſuggeſſit*; eſto. At hic adfectus quamdiu invaluit, pium illum ſenſum, ſi non penitus eraſit animo, offuſcaſſe ſaltem tantiſper, & valide convulſiſſe cenſendus eſt. Lepidam nimium defenſionem inſtituas pro homi-

ne, profanas, imo blaſphemas, voces edente, ſi cauſeris, id à perturbatiori quodam affectu ortum, quod ab inimicis laceſſeretur, eundemque Virum pertendas, *ex ſenſu intimo cordis puri Deo interim adhæreſcere.* Quod ſi ab alia parte cenſorem aliquem, qui talia acriter exagitet, plauſus loco, quem tempeſtiva redargutio merebatur, operoſa excuſatione proſequaris, condonandum objurgatori dicens, quod ſcilicet iſtius impia locuti conſcientiam intime perſpectam non habuerit, certe movebis cachinnos. Ejusmodi plane eſt, duplex, quæ pro Jobo & Elihuo, utrimque tam anxie pertexitur, apologia; dum hinc Jobi pietas fideſque ad Chriſtianæ Theologiæ normam exigitur; illinc tota Elihui actio, ab ullius, in criminando Jobo, fallaciæ ſuſpicione purganda ſuſcipitur.

Merito obſervat Clericus ad finem hujus Capitis, magnam partem ſermonum Jobi eò ſpectare, ut oſtendat Deum nullas pœnas improbis imponere, atque hanc querelam eorum eſſe, quibus mala alterius vitæ aut ignota prorſus, aut ſat nota non erant, ut de iis conſtaret. Quid adverſus hæc Schultenſius? *Si extra dolorem*, inquit, *& tentationem urguentis cum maxime calamitatis, querelas inſtituiſſet Jobus,*

bus, ſpecies ſubeſſet, tenuiſſima illa quidem, ſed tamen non omnino nulla. At æſtuantes miſeri querimonias in confeſſionem quandam fidei ejus velle convertere, nimis profecto imprudens & injuſtum. Scilicet haud lævo Vir ingenio, ictum declinat ſolerter, & eludit, non retundit aut repellit. Sed qui ſic reſponderit, vim argumenti haud ſibi ſatis intellectam oſtendet. Non enim confeſſionem fidei à miſero exquirit Clericus, in mediis querimoniis; ſed ex earum natura & indole, quando præſertim integrum librum implent, ſatis dignoſci ait, num ipſi futuræ vitæ præmia & pœnæ innotuerint, an vero ipſi de illa vita nihil in mentem inciderit. Quod ego quoque ultro confiteor. Etſi inde cum Clerico minime cogam, dogma melioris vitæ piis Jobi ſæculo fuiſſe ignotum; Lectores iterum iterumque monitos volens, ex mea ſententia, non verum hic Jobum loqui, ſed perſonatum, qui ea tantum dicat quæ è re ſint, & intento Scriptoris. Atque unica hæc videtur, difficultatem, quam alias graviſſimam agnoſco, tollendi via. Meliorem excogitent, qui majori acumine pollebunt.

IN CAPUT XXXVI.

Vs. 5. *Deus potentes non abjicit, cum & ipſe ſit potens.*] לא ימאס *neminem reſpuit.* Inconcuſſa illa omnia de Deo, divinaque rerum adminiſtratione axiomata, quibus, tanquam principiis ſuæ diſputationis utitur Elihu. Deus omnipotens eſt, pollet imperio in creaturas ſummo, nulloque fine coërcito. At ſimul omnia gerit ex æquo & bono, ad juſtitiæ & ſanctitatis normam. Benignitate utitur erga omnes; nullius curam abjicit; neminem à ſe repellit, aut beneficiorum ſuorum uſu prohibet, quæ tamen ex perenni ſanctitatis & ſapientiæ lege diſpenſat. Id ſequentia confirmant. Huic Rationis voci tota concinit Scriptura. Inde vero fidenter arguit Schmidius, non dari abſolutum reprobationis decretum. Cui non minus impigre obſtrepit Schultens, cauſatus eum extra oleas vagari, quod de abſoluto decreto Jobus ne cogitarit quidem, nedum ut ab eo, aut Elihuo, circa illud diſputatio ulla inſtituatur. *Diſſidia*, inquit, *gliſcere & perennare, haud mirum, quamdiu Theologi ita diſputabunt, ad normam ſyſtematis ſui, non ad formam verbi.* Recte mones, Clariſſime Schultenſi! ſapientiuſque ipſe

ipſe identidem faceres, ſi, in commentando Jobo, ſyſtema tuum theologicum ſeponeres. Tibi quoque facile accredo, de decreto abſoluto hîc minime eſſe ſermonem. Sed ſi quis dicat, Elihuum nihil ejuſmodi cogitantem, eam tamen ſententiam proferre, quâ poſitâ univerſum illud, de abſoluto reprobationis decreto, dogma funditus corruit, num is adeo abſurda atque ab omni ratione aliena, dicere cenſebitur? Quamvis probe ſcio, quid à noſtris Theologis jure reponi poſſit. Nempe, ex generalibus hujuſmodi effatis ſæpe haud tuto argumenta duci. Quæ Scriptura S. de perfectionibus divinis infinite prædicat, ea limitibus certis, & aliunde ex eadem Scriptura petitis exceptionibus, coërceri & concludi debere; qua cautione neglecta, in abſurda & Deo indigna delaberemur, ut hodierni Sophiſtæ faciunt, qui, quoniam Scriptura diſerte docet mille locis, Dei miſericordiam infinitam eſſe, & in æternum perennaturum, inde confidenter arguunt, improborum pœnas non fore ſempiternas. Sed hæc pluribus exſequi, hujus loci non eſt. Nobis ſufficit, vitium Schultenſianæ reſponſionis obiter indicaſſe. Sic ad verſus 9—11. noſtri Capitis, ubi docemur, quem ſibi Deus, in peccatoribus caſtigan-

ſtigandis, finem præſtituat, eumque exſpectare legimus, ut plagis exerciti ad ſe tandem, & ad bonam frugem redeant; hinc elicit Schmidius, Deum ſerio intendere impiorum ſalutem, ac contra irreſiſtibilem gratiam, occaſione oblata, ſtrenue diſſertat. Cui occurrendum ratus Schultenſius, obſervat, extra fines contextus hujus eſſe, reſiſtibilis ſit, an irreſiſtibilis gratia: ne tactam quidem in toto libro hanc quæſtionem. *Si audiant*, nihil aliud inferre, quam officium omni homini incumbens. At mirum, ni perſpicit ſe, tali fuga, hoſtilem impetum non evadere. Si enim officium omni homini incumbens hoc verſu memorari fateris, denuo inſtabit Schmidius teque rogabit, num præſtationem officii, quam ſerio urget Deus, ſerio à peccatore ſe exſpectare teſtatur, num eam, inquam, peccatori cui gratiam efficacem ipſe nequaquam largitur, non revera impoſſibilem cenſeas, neutiquam ſeriò igitur Deo exſpectandam? Quod eò non dico, ut Schmidii, aut Lutheranorum ſententiam tuear, ſed mera, quæ cuivis debetur, æquitate ductus, ut oſtendam, fortiori brachio Schmidii telum repelli debuiſſe. Ad ultima verſus noſtri verba quod ſpectat, אביר כוח לב nemo eorum vim melius

lius cepit, nemo, quod ſciam, felicius enarravit, acutiſſimo Crinſos. Ea per *animi robur* reddit; diſerte ſimul faſſus, in ſubjecta nota, majeſtatem Hebræi textus hodiernarum locutionum humilitate atque improprietate deteri, noſtræque cogitationi id objicere, quod lingua eloqui non valeat.

De ſubſequentibus verſibus piget, ut libere dicam, quod ſentio, piget doletque, gravem & ſimplicem Orationem Elihui, Interpretum diſputationibus traditam, qui verba, pro lubitu, diſcerpunt, agunt, verſant, miriſque modis flectunt & diſtorquent, ad ſuum quiſque nexum, ſenſum, ſcopum peculiarem, ut, iis quantumvis reluctantibus, per vim manifeſtam ſubjiciant, quicquid aut ſua cuique hypotheſis, aut priva cui adhæret ſchola, aut imaginandi denique vis, ſuggeſſerit. Horum interpretamentorum ſemet multiplicibus nodis intricantium fila, ſi animus & otium eſt, vide ſis apud Schultenſium, ea explicare & deducere, parvo fructu, improbo labore, ſatagentem. Nos ſimplicem paraphraſim, quæ, quam proxime poterit, ad Textum accedat, & perſpicuum fundat ſenſum, conabimur, adſperſis ad obſcuriora notulis.

Monuerat Elihuus, ineſſe Deo vim infi-

nitæ potentiæ, ſimulque robur mentis excelſiſſimæ, ab omni humanorum affectuum labe ſecretæ, omneſque ſapientiæ, bonitatis, æquitatis numeros implentis. Deinde exponit, qua ſe ratione gerat erga hominum genus. (6) Nempe neutiquam impune abire ſinet improbum oppreſſorem; at contra illum, pauperum inique vexatorum jura adſeret, eorumque cauſam ſuſcipiens in libertatem vindicabit. (7) Non deflectet oculos à viro juſto, ſed eum ex anguſtiis ereptum ſuper ſolia Regum evehet, & perpetuum ipſi decus conciliabit. In וישיבם Vau redundat, & neglecto accentu omnino conſtruendum את מלכים ישיבם *una cum Regibus imponet ſolio*, Enallage numeri frequentiſſima. Sic recte Codurcus, cujus notam conſule. Confer omnino Pſ. CXIII. 8. (8) At ſi qui, non improbi quidem illi, ſed officii parum memores, & culpæ alicujus rei, carceri, in peccatorum pœnam, mancipentur, & afflictionis vinculis conſtricti jaceant, eos per haſce caſtigationes erudit, efficitque ſalutari monitu, ut à vitiis reſipiſcant, redeantque ad officium.

(9) Quod ſi monitis obtemperent, Deo debitum cultum & obſequium præſtantes, tum dies ipſis lætos reducit, & deliciarum uberem proventum exhibet.

(10)

(10) Si contra obſurdeſcant, & in peccato indurentur, tunc eos gladio transadigit; adeo ut ex voluntaria ſua inſcitia, & indocilis animi ſtupore male pereant. (11) Quod vero intercedit diſcrimen eorum, qui fucatam pietatem præ ſe ferunt, ab iis, qui ſinceram animo gerunt; elucet ex afflictionum fructu & exitu. Hypocritæ enim dum caſtigantur, confer Pſal. CVII. 19. adeo non clamant ad Deum ſupplices, ut ejus in ſe iram incendant magis magiſque, dum præfracto animo emendationem reſpuunt (ישימו אף *ponunt iram*, θησαυρίζουσιν ὀργήν. Vide Grotium & Codurcum.) Unde fit, ut violenta & immatura morte pereant, eodemque cum impuratiſſimis exitio involvantur. Confer ſupra XXVII. 8. Ex adverſo pios, utpote diſciplinæ capaces, poſtquam malis eruditi fuerint, Deus ex anguſtiis afflictionis liberat.

(16) Similiter tecum aget, ô Job! eruet te ab anguſtia in laxitatem ampliſſimam, menſamque tuam ſtruet, onerabitque opimis dapibus, exquiſitiſſimiſque ferculis. Vide Pſal. XXIII. (Hic iterum indicium elucet mox inſtaurandæ Jobi proſperitatis.) Id tibi eveniet ſcilicet, modo piorum in adverſis docilem, & Dei audientem animum æmuleris. (17) Quod

ſi impleas judicium improbi, id eſt, ſi improbi ſub flagellis cœleſtibus obdurationem & pertinaciam imitari malis; (manifeſtum eſt particulam אם ex verſ. 11 & 12, ubi contraria exempla ex adverſo proponuntur, reſumendam hoc pacto; ואם דין רשע מלאת) tum cauſa & judicium ſibi mutuo cohærebunt, ſeque invicem ſuſtentabunt; hoc eſt, tunc, cum cauſa tua fuerit peſſima, juſtiſſimo quoque judicio plecteris; cum ſententia judicis cauſæ meritum ſequi debeat, ut vara vibiam, eique reſpondere. Gallice dicas; *Si tu te mets dans le cas du méchant, tu ſeras traité comme lui.* Nam דין eſt *cauſa.* (18) Ira enim divina in te eſt accenſa כי חמה. Vide igitur, ne te illa in exitium propellat, unde nullo pretio te redimere poſſis. פן יסיתך idem hic ſonat, quod ſupra verſu 16. הסיתך מפי צר. Evincit verſus ſequens, hoc loco רב כפר, eſſe, magnam auri aut argenti vim, qua ſe quis ab inſtante morte redimat. Vide Pſal. XLIX. 8. Qui Chriſti redemptionem hîc ſomniant, nunquam inter Criticos, aut idoneos Interpretes, cenſeri meruerunt. (19) Cenſen' vero, Deum magni æſtimaturum abundantiam opum tuarum, שועך? Non profecto aurum, aut divitiarum abundantiam, quan-

tumvis

Digitized by Google

tumvis maximam, hili faciet. Supplendum ex præcedenti colo, לא יערך בצר. Suſpicarer tamen pro לא, legendum לו *ipſi*, proclivi amanuenſium errore, qui ſæpe in Sacro Textu Maſorethis obſervatus; eo ſenſu; *Ipſi eſt aurum, & ſtrenuitates roboris.* Ut apud Haggeum II. 8. *Argentum eſt mihi, & aurum eſt mihi, inquit Dominus.* Senſus tunc eſſet; fruſtra te Deum ſperes, perſoluto pretio, placaturum & deliniturum; utpote qui omnes, quotquot in ſinu naturæ deliteſcunt, theſauros poſſidet.

Vs. 21. *Cave, ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpiſti ſequi poſt miſeriam.*] כי על זה בחרת מעני verti poſſet; *Huc converſus es propter afflictionem*, in hanc partem ob id inclinaſti; aut, *iniquitatem afflictioni præoptandam, duxiſti.* Utroque flexu און *vanitas*, foret impatientior adfectus, mortem anhelantis, tanquam ærumnarum finem. Quod meritò Elihu reprehendit; quodque innuitur præcedenti colo, per noctem, qua populi evaneſcunt, יעלו & ad inferiora ſubſidunt, quaſi in terræ ſinum abſorpti. Confer infra XL. 7. ibique Codurcum. Gallice, *ils rentrent en terre.* Coacte nimis Codurcus, de conſiliis, quæ nocte init avarus, ut populos abſu-

abſumat: nox enim hîc manifeſto conjungitur cum interitu populorum.

Vs. 32. *In manibus abſcondit lucem.*] Vulgus Interpretum id de nubibus, ſolis radios intercipientibus, dum iis occurrunt, intelligit. At de ſolis deliquio, quod orbis, ſeu diſci lunaris, interventu patitur, à nonnullis explicari docet Schultens. Vide quoque notam Clerici, cujus conjectatio de ſequentis verſus ſenſu, à Doct. Crinſos explicatione toto, ut ajunt, cœlo diſſidens, arguit locum tenebris plus quam Cimmeriis involutum.

IN CAPUT XXXVII.

Vs. 2. *Audite auditionem, in terrore vocis ejus.*] Inter verba Elihui, dum hæc loqueretur, tonitru exauditum. Ad cujus cæcum murmur, mox in fragorem horrendum & fulgur erupturum circumſtantes jubet contremiſcere. Scilicet jamjam adeſt Deus è cœlo, longam litem diremptурus, & tremendo majeſtatis apparatu obloquentes conſternaturus. Vide Caput ſequens. Cujus ex decoro prænuncius fit Elihu, hujus Capitis tota Oratione, præſertim verſu 22. En machinam tali ſcena & Dramate dignam!

Sic

Sic apud Poëtas adventus Deorum per tonitrua paſſim ſignatur.

Vs. 7. *Qui in manu omnium hominum ſignat.*] Sudat Doct. Schultens, & anxia inquiſitione ſeſe macerat, ut nexum reperiat, quo hæc cum ſuperioribus cohæreant, & ſingula quæque idonea ſerie ſtructa & collocata appareant. Quod efficere cum deſperet, Clerico tamen ſuccenſet, dicere auſo, non neceſſe eſſe in hoc ſtylo ſingula commata connecti; ideoque verbis potius vim inferendam cenſere, quam ut ſententiam interpellari & abrumpi concedamus: Verba primum expendenda, quæ ſi ſine vi poſſint ſententiam cum antecedentibus & ſequentibus connexam habere, ita ſunt exponenda; ſin minus, ſeorſum iis ſenſus ſuus tribuendus. Ad hæc clamitat Schultens, *nihil pugnantius Artis Criticæ fundamentis principiiſque.* Imo contra, ὦ θαυμαςέ! Nihil conſentaneum magis. Quæſo te, meliuſne erit, ut verbis apertam inferamus vim, Orationique ſenſus inferamus alienos, quàm ut ſegreges ſententias, & nullo ligamine inter ſe vinctas, quales revera ſunt, ita ſimpliciter reddamus? Non Critici canones, non ſana ratio, aliud ſuadent, ſed inolitum præjudicium. Neque enim æquum eſt, antiquos

quos Scriptores, Poëtas, præſertim Orientalium regionum, ad noſtri ſæculi & moris normam exigere; aut ad hodiernæ Rhetorices & Dialecticæ leges ſeveras expendere ac revocare velle. Nec ſtatim ſequitur, quod pro conceſſo ſumis; ſi quis liber divino inſtinctu conſcriptus ſit, illum ad perfectiſſimæ artis regulas concinnatum & perpolitum eſſe oportere; adeo, ut ei nihil quicquam ineſſe deprehendatur, ſi ſtylum, aut formam operis, aut ornatum, aut denique dicendi ordinem ſpectes, ubi delicatioris judicii lima reperire poſſit, in quo ſe exerceat. *Nempe Scriptores, divino Spiritu impulſi, homines fuerunt, quorum mentem, phantaſiam, os, calamum S. Spiritus ſic rexit, ut eos humanitate non exueret, ſed ſuo cujuſque & propriæ linguæ ingenio, privæ indoli, & adſuetæ cogitandi formæ, in ſcribendo permitteret: iis, tanquam organis, ad ſuum propoſitum, nos edocendi præcipua Religionis capita, uti contentus. Unde in S. Scripturæ Libris, haud ab una manu profectis, variarum ætatum, diverſorumque auctorum characterem ſpecialem dignoſcere eſt. Hebræorum certe Poëſis iis vinculis & legibus ſoluta fuit, quibus noſtra hodierna coërcetur. Nec ſi quod apud

apud Sophoclem, & Aeſchylum ἀσύνδετον ex vi verborum occurrat, id reluctante lingua, invito ſenſu, arctius conſtringere laboramus; ſatis habentes, Poëtæ ſenſus, quales ſeſe dant, atque oculis ingerunt, reddidiſſe. Meminerimus ſemper, quando de inſpiratione S. Scriptorum cogitamus, & inſpirationis modo, quid de ſe Paulus prædicet, deque ſuis in miniſterio Evangelico ſodalibus; Deum 2. Cor.
ſcilicet hunc theſaurum in teſtaceis vaſis recondidiſſe, IV. 7.
quò tantæ virtutis excellentia non ab hominibus, ſed à Deo proficiſci, argueretur. Quod autem in Virorum θεοπνεύστων perſona, idem in ſcriptis uſu venit, ubi nimirum quæ hîc illic occurrunt, humanæ imbecillitatis veſtigia & ſigilla veluti, tanto magis, quicquid apud eos ſupra humanitatis captum aſſurgens inter reliqua prominet, commendant, tanquam è cœlo delapſum. Ne regeſſeris, precor, ſi in noſtro Libro agnoſcantur nonnulla, ad dicendi artis normam non uſquequaque exacta, tum S. Scriptores in ordinem cogi, & in mere humanorum cenſum detrudi (*a*). Minime vero;

(*a*) In hanc rem digna ſunt, quæ legantur, ac ſeria meditatione ponderentur, quæ Hammondus & Clericus ad verſum ſextum ſecundi Capitis, Epiſt. ad Galatas obſervaverunt.

vero; id enim intereſt diſcriminis, quod quicquid, inter profanos Auctores qui optimi judicantur, eximium habent, vim ingenii naturalem diſciplina excultam neutiquam ſuperat Quæ tamen ars, aut vis, eo uſque non valet, ut ab erroribus aut nævis, quos humana parum cavit natura, immunes præſtet. Ii igitur ſe, lucubrationum ſuarum & virtutibus, & vitiis, ex æquo homines produnt. At Scripturis Sacris ſenſus inſunt, ſupra humani ingenii faſtigium evecti, de Deo, Religione, morum ſanctitate, officiorum regulis, nulla præjudiciorum nube obtenebrati, aut humani affectus contagio vitiati: dum interim, in tradendi methodo, ſæculi ſui, linguæ, qua ſunt uſi, inſtitutionis, quam à pueris acceperunt, mentis denique propriæ defectus nonnunquam exhibent. Unde tanto clarius elucet, illos, quam tradunt doctrinam, non ex propria penu deprompſiſſe, ſed ex arcano ipſius Dei afflatu hauſiſſe: homines quidem eſſe, ſed divinitus ad ſcribendum impulſos, divino moderamine inter ſcribendum ductos, ut normam certiſſimam nobis tradant, & facem præluceant, credendi, vivendique. Equidem ſe ſupernaturali via nobis retexit Deus in Scripturis; ſed ejus ſapientia non patitur

titur, ut profundat miracula ubi nihil opus; ut homines à ſe miſſos & actos penitus immutet, ſic ut homines eſſe deſinant, ac nihil ex ſæculi, gentis, conditionis defectibus, labis trahant; ut artem ſcribendi, Poëmata Dramatica pangendi, ſuæ ætati ignotam, quamque à nemine didicerunt, non modo per ſe reperiant, quod humanarum virium eſt, ſed à ſe inventam ſtatim perficiant, & ad culmen evehant; hoc enim ſine exemplo, quoniam humanam facultatem ſuperat. Ne mireris igitur aut offendaris, ſi in divino noſtro Poëmate aliquid ſubinde, non ſolum ad Orationes Colloquentium Amicorum quod ſpectat, contra legitimum ordinem & nexum, ſed in ipſo totius Fabulæ contextu, contra diſertiſſimos Græcorum Rhetorum, quin & hodiernorum Canonas, circà τὸ πίθανον & τὸ πρέπον admiſſum, deprehendere nobis videamur. Homo fuit operis Scriptor, antiquiſſimis temporibus in Arabia vixit, in id tantum divino Spiritu ductus, inſtinctuſque, ut Veritates momentoſiſſimas, Religioni individue cohærentes, de Deo, ejus imperſcrutabili providentia, noſtroque in eum officio, quas per ſe ne quidem excogitare valuiſſet, nedum tanta vi, tanta majeſtate, efferre abſque

 ulla,

ulla, vel leviſſimi erroris miſtura, non ſuam tantum, ſed venturas omnes ætates edoceret, eaſque ſtylo figurato, Dramaticis coloribus conveſtitas, Lectori exhiberet. In univerſo hoc negotio abſit, ut Dei ſacroſanctum verbum culpemus, ipſique vel minimam ineſſe cogitemus imperfectionis umbram! Tantum id dicimus, humanis divinæ revelationis inſtrumentis defectus humanitatis indices adhæſiſſe, Deo illud ſapientibus de cauſis non prohibente.

Vs. 20. *Quis narrabit ei quæ loquor* &c.] Audaci & inſolenti ſchemate Schultenſius ad חשך refert verſus ſuperioris, eo ſenſu; *Non conſiſtemus in acie ante horrendam caliginem:* Quare non? *Num narrabitur iſti caligini, quum ego verba deducam. Si quis dixerit quid, ſane abſorbetur quod dicit, & qui dicit.* Inauditus ſane tropus, *verba abſorberi à caligine*, itidem *loquentem.* Telum, inquit, quo Jobus à contentione cum Deo deterretur, ſic intorquetur. *Inſanus, qui cum caligine diſputare vellet, in certamenque cum ea deſcendere.* Merito inſanum dicit, cum ne in ſomnis quidem quiſquam contra caliginem diſputarit, aut certamen cum ea inire cogitarit. ὑψομανία mera hæc eſt, quæ proclives & claros ſenſus reſpuit, ut immania troporum

porum monſtra confingat. Hic nempe verſus recta ad Deum refertur, nulla ipſius cum caligine collatione inſtituta. Ipſemet Deus, non caligo, majeſtate ſua infinita obloquentes eſt abſorpturus. Memorem eſſe hìc oportuerat Schultenſium edicti, quod in aliorum interpretationes haud rarò ſciſcit; *violentum, tortum, parum naturale.* Caligavit acies alias intenſiſſima Viri docti, ob tenebras illas; quæ in fine verſus 19. memorantur. Nam nihil proclivius; & filo aptius, quam eas ad homines referre. *Fac ſciamus, quid ei dicere queamus, non poſſumus ſtruere* (in Deum ſcilicet) *verba propter tenebras.* לא נערך מפני חשך ſententia egregia & perſpicua. Sic ut σκοτομαχία ſua Schultens facile carere potuerit.

IN CAPUT XXXVIII.

Vs. 6. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? Aut quis demiſit lapidem angularem ejus?*] Sic loquens Deus inducitur, ut cum imperitis hominibus, in naturalium rerum ſcientia plane infantibus, balbutiat, & ad vulgi opiniones ſermonem accommodet. Supra XXVI. 7. tellurem deſcripſerat tanquam ſuper nihilo ſuſpenſam; nunc baſes, fundamenta, lapi-

des angulares memorat, quibus ſcilicet vaſta telluris moles innitatur. Id omne ex ſenſuum judicio, & per συγκατάβασιν dictum. Non enim ideo Sacros Scriptores afflavit Dei Spiritus, ut eos Phyſicam, aut Aſtronomiam edoceret, neque in eum finem (*a*) Scriptura S. data eſt hominibus, ut inſignes de iis Philoſophos, ſed ut probos, religioſos, ad omne bonum opus paratos & exercitatos efficeret. Fruſtra ſunt, qui in ejus lectione aliud quærunt. Proclive fuit rudium mentium præjudicium, quæ ex viſis inviſitata metiri ſolent, ut firmiſſimum aliquod fulcrum imaginarentur, in quod recumberet, in quo ſecure requieſceret, terrenæ molis pondus. Inde Braminarum apud Indos ſomnium, de quatuor Elephantis, immanis Teſtudinis dorſo incumbentibus, qui terram ipſi ſuſtentent. Obſervandum porro, ſicut modo laudato loco Jobus ex Aſtronomicis, quæ jam ejus ſæculo vigebant, rationibus, de terra ſuper nihilo ſuſpenſa locutus eſt; quia nempe globum eſſe noverat, aëre & vacuo cœlo undique cinctum, nunc eam ex populari magis notione, tanquam ædificium quoddam

2.Tim. III. 16. 17.

(a) *Non hos quæſitum munus in uſus*, Virg. in Æneid. IV.

dam deſcribere, firmiſſimis ſubſtructionibus ſolidatum. His tamen, qualeſcunque ſint, imaginibus Veritas ſubeſt, quæ ſummi Conditoris in mundi Opificio, & telluris ſpeciatim conſtitutione, tum potentiam, tum ſapientiam nunquam ſatis admirandam, exhibent. Quis enim non exſtupeſcat, Globum noſtrum terrenum ſic provida manu ponderibus ſuis libratum, atque æthereo, cui innatat, fluido ſic attemperatum, ut gyrum ſuum, rato & conſtanti tenore, circa ſolem peragat, nunquam, per tot annorum millia, à conſueto tramite & curriculo deflectens, ut æquabili lege annuas tempeſtatum vices obeat, & lucis caloriſque ſolaris (*a*) menſuram, incolis ſuis maxime opportunam, accipiat.

Vs. 18. *Numquid conſideraſti latitudinem terræ?*] Quæſiti hujus hic poſſet eſſe ſenſus: An orbem terraqueum ſic notum & perſpectum habes, ut omnes ſingulaſque ejus regiones definire & accurata delineatione, vel minimarum, quas terræ ambitus complectitur, partium, unam-

(*a*) De his adi ſis omnino peritiſſimum naturalis ſcientiæ antiſtitem W. Derham *Aſtro-Theolog.* Lib. IV. c. 4. p. 93. Ibid. Lib. VII. cap. 2. p. 171. Quo nemo acutius, quod quidem ſciam, & felicius, divinæ in eo Sapientiæ rationes expoſuit.

unamquamque ſuo ſitu, adſpectu, limite, deſcribere potis ſis? Quo uſque ne noſtra quidem ætate, poſt tanta ſcientiarum incrementa, tot quaquaverſum navigationes inſtitutas, peritiſſimorum Geographorum ſolertia pertigit. Sed ſi de ſola orbis terreni dimenſione verba ſumantur, quæ acceptio magis obvia eſt & naturalis, tunc ingenue fatendum, rem Jobi ævo hominibus ignotam & inacceſſam, nunc Aſtronomorum calculis definitam, conſtitutam & in liquido poſitam eſſe. Nec ſatis erat cauſæ, cur Clerico id monenti Schultenſius iraſceretur, & indignabundus diceret; *Credebatne Philoſophus, ſe cum novo ſuo lumine quæſtioni iſti ſatis fuiſſe facturum*? Certe plura hoc Capite, circa rerum adſpectabilium naturam, tanquam homini impervia proponuntur, quæ labentibus ſæculis humani ingenii recluſit induſtria. Fruſtra id objicienti obviam itum putat Vir eruditus, generali ſua clavi; *Non agi hoc Capite de ſimplici cognitione cauſarum ſecundarum.* Quid enim huic cauſarum diſtinctioni, cum menſura terræ? Merum, ne dicam dolo, σοφῷ ejuſmodi φαρμάκῳ, effugium captatur. Dic enim ſodes, ὦ πόλυ! Num primæ cauſæ vim & operandi modum exploratum habere oportuit, qui

ad

ad Æquatorem & Polum Arcticum uſque progreſſi, axis terreni cum Æquatoris diametro proportionem, bene ſubductis & purgatis rationibus, conſtituerunt? Si quis forte lucis originem, propagationem, naturam, ex phyſicis calculis, & experimentis, probe ediſſerat, num lux quid ſit, ignorare dicetur, quoniam actionem primæ cauſæ in edenda luce non intelligit? Nugæ. Tutiores valde huic Capiti enarrando regulæ; 1ma. Naturæ miracula ibi figurate, & Poëtarum more deſcribi: ut, quando lucis & caliginis domus memoratur: item pluviæ pater, nivis & grandinis penuarium, glaciei venter, imbrium elices &c. Ejuſdem commatis cenſeri debet, *Aquilo ſuper vacuum extenſus, & ſuſpenſa terra ſuper nihilo*, Cap. XXVI. Vs. 7. Quæ omnia accommodate ad ſenſuum judicium dicuntur, uti egregie oſtendit Lud. Capellus nota a. l. lectu digniſſima. 2da. Ad horum temporum, circa naturalis ſcientiæ veſtigationem valde rudium, captum quæſita accommodari, quæ non ideo minus compeſcendæ Jobi temeritati atque audaciæ inſerviunt, quando divinæ gubernationis conſilia exagitare & culpare audet. Æque magna enim circa terrarum vel dimenſionem, vel deſcriptionem, inſcitia labo-

rabat, quam ſi eorum notitia hominum menti in æternum futura fuiſſet inacceſſa. Fieri quoque poteſt, ut ſacer hujus Poëmatis Scriptor humano ingenio negata putaverit eſſe plura, quæ tunc mortales latebant, licet eadem poſteriorum ſæculorum induſtria & aſſiduus labor in apertam lucem protraxerit. Iterandum nempe & inculcandum, quod jam præcedente nota obſervavimus. Homo fuit noſter Scriptor, adeoque iiſdem præjudiciis erroribuſque obnoxius, cum reliquis ſuæ ætatis hominibus. Cœlos credidit ſolidos; ſpeculi inſtar, tanquam ex metallo aut cryſtallo conflatos. In quo ipſe Moſes, Geneſeôs Capite primo (*a*), ejus errorem arguit. Idem erratum Ariſtoteli. Id vero nihil Religioni ipſi nocet, aut Libri hujus ſcopo officit quicquam.

(*a*) Hunc erraſſe errorem Elihu ultro fatetur, inter Pontificiorum Theologos doctrina & pietate inſignis, Abbas Du-Guet, *Ouvrage des ſix Jours*, p. 62. Quem nemo certe S. Scripturarum auctoritati derogare velle ſuſpicabitur. Feſtivus vero eſt *Caſtellus*, inter Jeſuitas acumine ingenii inſignis Philoſophus, qui ut Ariſtotelem, Ptolemæum, antiquos ab ejuſmodi errore abſolvat, ſerio contendit eos, cœlis ſuis cryſtallinis nihil aliud, niſi fluidi cœleſtis pelluciditatem indicare voluiſſe. Vide *Mémoires de Trévoux*, Février 1753. Contra, valde credibile eſt, eandem circa naturam cœlorum Græciæ Philoſophis, quæ apud Arabes Jobi ævo, opinationem fuiſſe,

quam. Nec divinus, qui ſacrum Auctorem ad ſcribendum impulit, adflatus præſtat innocuos ab ejuſmodi erroribus, ſed iis tantum, qui religioſum attinent talis ſcriptionis intentum. In genere equidem verum eſt, pleraſque naturalium phænomenôn cauſas in Naturæ ſinu, abditiſſimiſque receſſibus penitiſſime latere, haud temere Philoſophis perſcrutandas & eruendas. Sed de cunctis, quæ hic recenſentur, tanquam humanam aciem fallentia, id diſtricte in hodierna ſcientiarum luce affirmare velle, & præclaris Aſtronomorum Phyſicorumque repertis obſtrepere, id Interpretis foret parum judicio valentis.

Vs. 34. *Numquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?*] Alluſum puto ad Magorum cantillationes & murmura, magnam eliciendo imbri efficaciam habere vulgo credita; qualem Dæmoniis ſuis & idolis tribuebant Ethnici. Confer locum Jerem. XIV. 22. Sic hodiedum in Americanis Inſulis Nigritas ferunt, carmina neſcio quæ demurmurantes, imbrem, vel tenuem, vel denſum, ad libitum prolicere. Teſtem hujus oculatum ſe prodit P. Labat, *Voyage des Iles de l'Amérique.* Ne Monachum autem hîc vanitatis premat ſuſpicio,

picio, variorum Itineraria faciunt, idem factum firmantia. Cæterum quod noſtro loco naturalem hominis facultatem ſuperare dicitur, Eliæ precibus indultum. Vide Jacobi Epiſt. V. 17.

Vs. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam?*] מי שת בטוחות חכמה Clericus, *quis poſuit in renibus ſapientiam?* Sic Genevenſes. Interpretes cæteri in eundem ſenſum vocem טחות per *viſcera*, *intima* reddiderunt, ut שכוי poſterioris coli, per *intellectum*, ſignificatione in SS. nota & pervulgata, ſententia autem ſimplici & obvia. At ſordet hæc Schultenſio, & ſtomachum movet illi, quod Deus, qui *renum & cordis explorator* à Propheta nuncupatur, qui menti noſtræ intelligentiæ lumen accendiſſe in Scripturis centies dicitur, idem nunc *renibus ſapientiam*, *intellectui* noſtro (שכוי à שכה *contemplatus eſt*, *adſpexit*, derivatione clara) בינה *prudentiam* indidiſſe perhibeatur. Longe his præfert, ex devia Arabici טחו & טחה *vagandi*, *oberrandi* notatione, *jactum vagum* elicere; tum ex שכוי *nubem tenuem*, ſeu *phænomenum evanidum* conflare, tali ſententia: *Quis poſuit in jactibus vagis*, fulminum, puta, tonitruum, imbrium, (nam ea ex ingenio ſupplentur;) quis in iis jactibus poſuit *ſapientiam*, *ſolidam ac fir-*

ſirmam rationem & legem motus ? Et quis dedit φαινομένοις, rebus ſubito apparentibus & mox diſparentibus, intelligentiam ? Nempe ut ita agant, ac ſi intelligentia pollerent; ſcirentque quando, quomodo, & quouſque vires ſuas exercere debeant. Sed vide, quale hoc ſit, quam abſonum & inconditum locutionis genus; *Dare ſapientiam jactibus*, item *nubibus raris*, quæ eodem fere momento oriuntur & diſparent, *intelligentiam impartire.* Quaſi idem non dici poſſit de quavis, vel minutiſſima materiæ particula, quæ ne tranſverſum quidem capillum movetur, quin Conditoris legibus pareat. Adde, ſi טחות de fulminibus intelligas, idem bis fruſtra dici; nam præcedenti verſu 35 eadem ſententia eſt. Imò de ſingulis Meteoris noſtro Capite deſcriptis docetur, ea à Creatore certis legibus, huc illucve, certos ob fines ferri. Quod porro Pſalmo LI. טחות *vagationes* exponens, ubi exſtat; *Delectatus es veritate in renibus*, הן אמת חפצת בטחות, ſic totam ſententiam interpretatur; *Convertis lapſus in remedia lapſuum*; quam longe id petitum ſit, dicere nil attinet. Si quæres, quæ neceſſitas eum impulerit, ut tam alienam ſectetur interpretationem, nullam habet aliam, niſi ne dictorum idonea ſeries turbetur.

betur. Quomodo enim, inquit, à tonitruis ad mentis humanæ illuſtrationem S. Scriptor deſcenderet? Quaſi vero priſci illi Arabes ordinis æque ſervantes eſſe debuerint, ac nos hodie ſumus! Contrarium diſerte teſtatur Mercerus a. l. cui ſubiratus Schultens, *mallem dicere; non intelligo.* Quid ais? ὢ γενάδα! Negabimus nos intelligere, quæ perſpicua ſunt, & in oculos luce ſua incurrunt, potius quam ut à placito tuo diſcedamus, Scriptorem S. Spiritu adflatum ſeveram ordinis in dicendo legem ubique ſervare debere? Quin & ipſe infra Cap. XXXIX. Schultenſius proprio placito detrahit, ordinem monens non ita ſollicite urgendum, ubi animalium fit recenſio. Vide Commentarii p. 1108. Vellem quoque nobis oſtenderet hanc ordinis conſentanei legem infra XLI. 1, 2. ſervatam. Sed lege, ſi vacat, quæ ibi obſervavimus.

IN CAPUT XXXIX.

Vs. 13. *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris.*] Hærent ad hunc verſum Interpretes fere omnes, tanquam ad ſcopulum quemdam impegiſſent; & quando ſenſum inde nullum idoneum extricare

tricare

tricare poſſunt, turbelas dant, in avia per tenebras, quo ſors quemque tulit abrepti. Fatetur Schultens rationes eorum conturbatiſſimas eſſe, quibus ipſe ſuas, nihilo liquidiores, adjicit. Mirum, poſtquam tot irritos aliorum conatus merito repudiavit, non ſenſiſſe, quod in eorum vicem reponit, haud magis teres & expeditum viſum iri. Sic enim vertit. *Ala ſtruthionum, exultabunda: eſtne penna pietaticultrix & pluma?* Expende modo hanc verſionem, Lector! ac inde aliquid boni & gravis, & perſpicui ſenſus, ſi vales, exſculpe. Id ſatis Interpretem admonere debuit, ut ſemet ſuſtinens ampliandum cenſeret, ſibique aquam hærere fateretur. At locus non ſic eſt conclamatus, ut talem nobis confeſſionem extorqueat. Quidni enim Genevenſibus & Codurco accedimus, apud quos omnia limpide fluunt? Tres nimirum aves memorantur, quæque ſuis dotibus inſignes. 1mo. רננים qui, communi Hebræorum ſententia, *pavones* ſunt, à tinnitu & incondito clamore dicti. Avis certe, quæ ambitioſa alarum circumrotatione, pennarumque, tanquam totidem gemmis interſtinctarum, aut ſtellis radiantium varietate, digna ſatis fuit, quæ inter miracula Naturæ, in volatilium cenſu,

ſu, locum ſuum obtineret. *Rara avis, & picta pandens ſpectacula cauda*; ut cum Vate Venuſino loquar. Quod, ſi nihil aliud foret, ſic appoſitum, ſic proprium pavonis pennis expingendis epithetum, כנף נעלסה *ala exultabunda*, ſatis vinceret. Namque נעלסה ab עלס ductum, quod eſt *exſultare*, *gloriari*, mire congruit cum רנן *cecinit*, unde רננים. Hinc apud Moſchum Idyllio II. vs. 59. ad hunc modum pavo deſcribitur: Ὄρνις ἀγαλλόμενος πτερύγων πολυάνθεϊ χροίῃ, Ταρσὸν ἀναπλώσας ὡσεί τις ὠκυάλος νηῦς. *Avis exultans pennarum multiflorido colore; caudæ pennas explicans ſicut aliqua velox navis*. Unde ſatis cauſæ nos habere putem, ut à ſummo Viro Bocharto diſſentiamus, qui Hieroz. Lib. II. Cap. XVI. p. 246. multis contendit, per רננים ſtruthiones potius intelligendos. Nam quod כנף alam proprie notet, levis in eo ſcrupulus eſt, cum ipſe Vir magnus fateatur, Poëtis alam pro cauda καλλιχρηστικῶς ſumi, ut laudato Moſchi loco. „ Notiſſimum eſt cuilibet, turgeſcentes „ libidine pavones diſtendere in Orbem „ caudam, ejuſque radiantes oculos ex- „ plicare, atque omnes pennarum ordi- „ nes criſpare, lentoque inceſſu, atque „ ambitioſa rotatione, ſe reſpicere, ſibi „ adſtupere & ſuperbire. " Elegantem hanc

ὑποτοτύπωσιν, haud ingratum Lectori facturus mihi viſus ſum, ſi ex Codurco hîc adtexerem. 2do. חסירה, quæ Græcis πέλαργος, aut *ciconia*, à pietate dicta, uti notum. Vel quod mavult Codurcus, ἐρώδιος, ſeu *ardea*. Tertiò ſequitur ibidem ונוצה. Quis ibi non ſentit, ex ipſa copula Vau, tertium volucris genus indigitari, quod ex ſequentium verſuum deſcriptione ſtruthionem eſſe, vel ſtruthiocamelum, ſic apparet, ut omnem tollat dubitationis aleam. Et de eo quidem apud omnes ſummus conſenſus. Quo ſemel poſito, haud divinare poſſum, quid rationis ſit, cur Clericus, Schultenſius, alii, nolint hanc avem voce נוצה ſignari, potiuſque habeant eam in רננים quærere, pavone & ciconia ex noſtro loco exulare juſſis. Haud pauca tamen hanc proſcriptionem incommoda ſequuntur. Ac primo inter minima eorum recenſeo enallagen numeri, qui verſu 17mo. ſingularis cum ſit, apte cum נוצה, non itidem cum רננים connectitur. Hujuſmodi enallages plura apud noſtrum exempla eſſe fateor; ſed non huc tamen temere recurrendum, ubi nihil opus. Præcipuum incommodum, violenta verborum interpretatio, ubi ſenſus tractus, longeque arceſſitus, aut potius nullus. Quis enim fando audivit ſic loquentem;

Ala

Ala ſtruthionum eſtne penna pietaticultrix & pluma? Quid ais, alam aut pennam eſſe plumam? Imò ex plumis conſertis ala compingitur. Rurſus quis ferat hanc locutionem? *Penna pietaticultrix*; ut innuatur avis, quæ pietatem colit, & pullos ſuos tenere educat & fovet. Quid fiet denique interrogationi abruptæ & pendulæ, cujus vera mens ægre ex ſecuturis magno conatu elicitur? His te ambagibus ſemel evolvis, modo æquo animo patiaris נוצה, apud Hebræos *ſtruthionis* nomen eſſe, & duabus reliquis vocibus receptam pridem notationem reſtituas, pavonis & ciconiæ. Sed manum nobis injicit Schultenſius, & unam tantum noſtro loco memorari avem pronunciat. Quo id autem jure? Ajo contra, tres volucres recenſeri, ſuis quamque characteribus diſtinctas: *Pavonem*, ex decoro variegatarum pennarum ornatu; *Ciconiam*, ab alis validis & vægrandibus, אברה; *Struthionem* denique, ex idioſyncraſi & indole, quam latius in ſequentibus ſacer Scriptor exſequitur. Quod ad ſtructuram attinet totius ſententiæ, nonnihil omnino ſupplendum; nihilque propius, quam ut id verſûs infra 22di. ubi de equo, התתן *an dediſti?* huc revoces, aut, quod rem eſſe ſuſpicor,

cor, ſcribarum incuria omiſſum, aut forſan ex Poëtica Noſtri licentia ἐλλείπον; ut integra ſit ſententia: *Num præbuiſti pavonibus alas ſuas micantes & verſicolores? An ciconiæ pennam ſuam? An ſtruthioni pariter ſuam dediſti?* Notandum, tres illas volucrum ſpecies alis ſuis inſignes. Et primam quidem, propter varietatem colorum mirificam, quibus alas, tanquam penicillo diſtinctas gerit. Secundam, ob ſtrepitum quem edunt earum pennæ commotæ comploſæque. Ultimam, quod pennis expanſis tanquam velis utantur ad celeritatem curſus, ut ex Plinio, aliiſque notum. Profectò, cum omnes hoc Capite ſententiæ interrogandi flexu proferantur, huic noſtræ interrogationis nota, quam ipſe textus non præfert, neceſſariò ſupplenda eſt. At tu, inquies, נוצה per *ſtruthionem* reddis ex mera conjectura, ut ſit κατ' ἐξοχὴν *pennata avis*; nulla auctoritate fretus, & ſola ductus loci convenientia. Hoc vero nos diſerte vetat Schultens per Canonem ſuum Criticum, *pro loco exponere, eſt divinare.* Reſponſum accipe. Bonus quidem canon, ſed dextre accipiendus. Nunquam, fateor, pro arbitrio alicui voci inauditus ſenſus affingi debet, ideo tantum, ut ex intricati loci nos ſalebris expediamus. Comment. p. 1126.

Bb At

At ſi qua vox rarior, & obſcuri, aut ambigui ſignificatus occurrat, nihil vetat, quominus ex vi ſubjecti argumenti & rei ipſa deſcriptione; v. gr. quando de animali agitur, veram vocis notionem eruamus. Uti, quæ ſtatim verſibus 17—20. ſubjiciuntur, apprime congruunt ſtruthioni. Eſto; hoc ut ſit divinare, at ſimul eſt ſcopum ferire. Scitiſſime Severus, Catena in Jobum, hanc fert regulam Interpretibus πλὴν καὶ τὰ ὀνόματα προσήκει νοεῖν πρὸς τὴν ὑποκειμένων πραγμάτων ποιότητα καὶ οὐ πρὸς τὴν κατάχρησιν τῶν λέξεων τ'ἀληθῆ κανονίζειν. Illud eſt, quod Magiſtri dicunt, פירשוהו לפי מקומו.

Vs. 19. *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?*] Non cepit hujus loci granditatem cum eximio decore junctam Boothius, quia in רעמה pro *tonitru*, *jubam* intelligi vult, adſtipulante ipſo, quis crederet? Bocharto. Quod Viri ſummi judicium nobis oſtendit, reconditam eruditionem, & exquiſitam linguarum peritiam, nonnunquam eo animi ſenſu deſtitui, qui τὸ κάλλος καὶ ὕψος in ſcriptis, id eſt, quicquid ſplendet, quicquid nativa pulchritudine eminet, & ſuo decore ſe commendat, facile dignoſcit. Qui tamen ſenſus, in Critica ſcientia principem fere

re

re locum obtinet. Infirmis plane utriusque ſententia niti videtur rationibus. Prima earum eſt, quod hinnitus non è collo reddatur, ſed ex gutture. 2a. Quod vox aut ſonus, *indui* nonniſi inconcinne dicatur, utpote qui cum veſtimento nihil habet analogum. 3a. Quod hinnitus, qui acutiſſimus eſt ſonus; cum tonitru vix quicquam commune habeat. Talibus argumentis perculſus Schultens, cum cæteroquin רעמה pro *juba equina*, uſu & analogia linguæ repugnante, accipere recuſet, de ſuo vertit; *Conveſtis cervicem ejus tremore alacri*. Docet nimirum radicis רעם ſignificationem primariam, eandem eſſe, quæ רעש *tremuit*, unde רעמה *tonitru*, quia fragore ſuo omnia contremefacit. Inde adducta formula Arabica, quæ proverbii vim habet; *intremuere interſcapilia mea*, & laudatis Gjauharii verbis; *Pharitſa vocatur particula carnis inter caput & ſcapulam, quæ non ceſſat tonare ſive tremere in equo*: Ex his omnibus conficit, apud Jobum indicari affectionem illam tremulam, quæ in cervicibus equi conſpicitur, eaque quaſi indutum ejus collum dici, haud ſecus atque militari ornamento. Adeoque, *collum ejus induis tremore*, indicare tremulum illum, & alacritatis plenum motum, quo genus

equinum præ reliquis diſtinctum , circa interſcapilia & carnem, inter humerum collumque. Neſcio quid aliis videatur; at meo ſaltem judicio operoſus ille eruditionis Arabicæ apparatus tantum ab illuſtrando loco abeſt, ut potius nobilis figuræ ſplendorem offuſcet atque oblitteret. Si enim miſſo Arabiſmo, רעמה ex communi uſu per *tonitru* interpreteris, tropum habes ſplendidiſſimum reique ſic appoſitum , ut nihil ſupra. Si equum generoſum & bellacem cogites , ardua cervice, criſpante juba ſuperbientem, ſimul, vibrantibus colli muſculis, pugnam provocantem , atque cum hinnitu ignes naribus efflantem ; quis neget, aptiſſima figura collum ejus tonitru velut amictum repræſentari? Egregrie illud oſtendit illuſtriſſimus Addiſon, in ſuo *Guardian*, Tom. II. n°. 86. Ubi totam hanc equi deſcriptionem illuſtrat, pro eo quo exquiſito polluit acumine. Fraudi fuit doctiſſimis Interpretibus, quod per tonitru , ſi ſic vertatur, ſolum hinnitum intelligi poſſe cenſuerint ; cum ea omnia, quæ memoravimus, ſimul juncta circa equinum caput ; fulgor ſcilicet, tremor, & fragor, aptiſſime ſignentur metaphora à tonitru petita. Quod ſi parum concinnum objicias, illud collo equino circum-

cumdari, longe inconcinnior, profecto, verſio Schultenſiana; quid enim, viciſſim ajemus, quid tremor cum veſtimento analogum habet? Si tricari voluerimus. Deus paſſim apud Prophetas, per medios Nahum. turbines, ventos, tempeſtates, incedere I. 3. legitur. Cur tonitruis, fulgetris, ventis ſtipari undique, & circumveſtiri minus apte diceretur, equidem videre nequeo.

Vs. 33—35. *Reſpondens autem Job Domino, dixit: Qui leviter locutus ſum* &c.] Putide tricantur Commentatores nonnulli, dum hanc confeſſionem Jobi non omni ex parte liberam, ingenuam, completam fuiſſe, verbo, talem non, qualem Deus exigebat, inde arguunt, quod dicat; *Semel locutus ſum, ſed non reſpondebo, ſecundo, ſed non addam:* Diſcrimina notantes neſcio quæ inter iſtam, & illam quæ inferius, Capitis XLII. initio, habetur; quaſi per varios convictionum gradus, à priſtina audacia, ad debitam ſummo omnium rerum rectori ſubmiſſionem deſcenderet. Hæc enimvero cavillatio eſt, & vitilitigatio. Qua enim re Jobus diſertius ſe victum profiteri potuit, ſuamque culpam agnoſcere, quam manum ori admovendo, & ſibimet ſilentium indicendo, ex imo ſenſu tum poteſtatis, tum ſapientiæ, tum juſtitiæ divinæ? Confer

 Pſal.

Pſal. XXXIX. 10. Quod nihil obſtat, quominus eam reverentiam Numinis, cum antedictorum recantatione conjunctam, & culpæ deprecatione, poſtmodum explicatius teſtetur. Verum, ajes, ſi res ita ſit, quid amplius cauſæ habuit Deus, cur novis argumentis eum intenſius urgeret, fortioribuſque veluti telis proterceret jacentem jam, & porrigentem manus; quòd mox fit duobus Capitibus integris? Reſponſio eſt obvia. Dramatis illud ἦθει & Poëmatis ornamento datum, ut in longius excurrens, quæ Deo adſingitur Oratio, Jobi interloquio incidatur, tanquam interſpiramento quodam, ne, continuata diutius, languorem legentium animo, aut tædium inſtillaret. Qui hunc Librum, pro mera hiſtoria habent, & rei geſtæ religioſa narratione, haud mirum ſingulos apices anxie excutere, ejuſque quod nuſquam eſt, cauſas ſtudioſe venari. Sed ſacræ noſtræ Parabolæ naturam & genium introſpicientibus, talia meteora minime captantur.

IN CAPUT XL.

Vs. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum* &c.] Animitus gratulor Schultenſio, repudiatam hîc, graviterque repreſſam allego-

legoriarum licentiam. Sane quæcunque, data occaſione, contra myſticorum ſenſuum inconſultos aucupes ſciſcit Vir celeberrimus, cordatorum omnium plauſu excipienda. Lectu præſertim digna ſunt argumenta, quibus nuperi Commentatoris Galli in Jobum, ex ſenſu SS. Patrum expoſitum, novam, aut ex antiqua potius redivivam, hypotheſim refellit. Is nempe poſtquam Jobum ſtatuiſſet Chriſti Mediatoris perſonam ſuſtinere, paſſionemque ejus propriis miſeriis adumbrare; commodum, in operis coronide, per Behemoth intelligit Diabolum, quem, cum Jobum initio aggreſſus legatur, à Jobo ultimum vinci par eſt, in typum reportandæ quondam à Chriſto de Satana victoriæ. Neque pigmenta deſunt, quibus bellum illud inventum infuſcetur, ex nexu & ſerie operis petita. Rationum enim ſemper imaginoſis abunde eſt, quibus ſua phantaſmata connectant & conglutinent, ſemelque contexta adblandientibus coloribus conveſtiant. Verum compages illa tota uno Schultenſii ictu deſluit & evaneſcit; dum V. C. oſtendit, eo pacto tentationem Jobi, quæ gravis, acerba, intoleranda deſcribitur, ad nihilum recidere, nec veri nominis tentationem, aut virtutis explorationem, amplius ap-

pellari poſſe; quæ in eo maxime ſita legitur, quod Dei conſilium, in affligendo Jobo, ipſi plane incompertum & obſignatum fuit. Totus hic proceſſus non prophetica aut emblematica pictura fuit, ſed verum patientiæ Jobeæ exercitium. Haud abſimile huic Warburtoni, de patefacta Abrahamo Chriſti oblatione, quando Iſaacum ſuum immolare jubetur, commentum, eodem argumento difflandum. Si utrobique enim rem geſtam in allegoriam vertas, perit in utraque verum experimentum virtutis, & ſimul Sacræ Hiſtoriæ fides ab imo convellitur.

IN CAPUT XLI.

Vs. 1. *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum: Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo?*] Habent Critici in emendandis, aut interpretandis Scriptoribus, reperta quædam exploratiſſima, & iis rationibus nixa, quæ omnem tollunt dubitationis aleam: Habent porro ſuas conjecturas, quæ miro ſeſe veriſimilitudinis colore commendant, neque uſu & fructu carent. Quandoque etiam ſua ſomnia venditant; ſic audaciores ariolationes voco, quibus veniam non nullam, modo ſpecies adſit, indulgere par eſt. Judicet Lector, in quem, ex

tri-

tribus hiſce, cenſum ſequens obſervatio referri mereatur.

Primi duo verſus hujus Capitis videntur præpoſtere deſcriptioni Leviathanis inſerti, quacum nullam connexionem, nullam omnino communitatem habent, ac generalem potius ſententiam continent, quæ aptius univerſæ Orationi præfigatur, aut in qua, tanquam conveniente clauſula, deſinat tam Behemothi, quam Leviathanis deſcriptio, cum utriuſque ſcopum complectatur, oſtendendo tantam Numinis potentiam, tantam excellentiam eſſe, ut furioſus plane ſit oporteat, qui ei obſiſtere, aut cum eo in certamen deſcendere audeat. Haud immerito igitur ſuſpicor, luxatam hanc pericopen fuiſſe, & infartam alieno loco. Quæ ut ſuo reddatur, verſui 35. Capitis XXXIX. eſt ſubnectenda, ea lege, ut ſecum quoque trahat poſtremos duos verſus Capitis XLmi. Hujus noſtræ Criſeôs ratio ut diluceſcat, obſervandum, primo loco, conſenſu omnium quotquot ſunt Interpretum, poſtrema primi verſus hujus Capitis parte & ſecundo toto, Deum de ſe loqui, adeoque nihil ejus ad Leviathanem pertinere; quod parentheſim nobis ingerit valde alienam, & intempeſtivam, qua Leviathanis deſcriptio interrumpitur.

2do. Vide, quam parum congruant immani iſti belluæ, quæ hic nomine Leviathanis venit, verba præcedentis Capitis vs. 27, 28. Seu enim Balænam intelligas, ſeu Crocodilum, ſic negabitur eum vinci, debellari, capi omnino poſſe; cum tamen hoc fieri ab hominibus, & crebro factum, experientia comprobet. Quicquid excogitent Commentatores, aut declinent huc illucve, objectionem evaſuri, mera ſunt effugia. Itane vero nunquam interempti Crocodili? nunquam Balænæ à piſcantibus vulneratæ, ſudibus atque harpagonibus in carnes impactis? nunquam uncis & funibus ad littus attractæ, aut per fruſta navibus impoſitæ? ut dici queat, ſolo earum aſpectu homines proſterni, neminemque adeo impavidum, ut eas aggredi, ultro laceſſere, ac è ſomno excitare audeat? Adde præmonitis, talem negationem adverſari ei, quod diſerte prædicatur ſupra, Capite III. vs. 8. de excitantibus Leviathanem עתידים עורר לויתן ſeu Magi ſint, ut nonnullis placuit, ſeu diverſum hominum genus.

3o. Advertas velim incohærentiam verborum, ex recepta interpretatione manantem. *Nemo tam truculentus, qui eum expergefaciat, & quis ille, qui ante faciem meam in acie conſiſtat?* Vide immanem ſaltum

tum orationis, à bellua ad Deum. Scio, quid linimenti, aut cæmenti huic chaſmati obducant; comparationem inſtitui, ſcilicet, aut argumentum duci à minori ad majus. Sed præterquam, quod nihil langueat magis & frigeat, comparationi obſunt quæ mox attexuntur: *Quis prævenit me ut rependam? Quicquid ſub cælo univerſo, meum eſt.* Unde claret, nullum hic comparationi locum inter diverſas res, ſed de uno Deo ſermonem eſſe. Nunc totam hanc pericopam, ſi ad finem Capitis XXXIX. tranſtuleris, ſpondere auſim, etiam te fatente, propriæ ſedi reſtitutam, ſenſum facilem & perſpicuum fundere. Quod ut melius perſpicias, en tibi ſeriem integram: *Reſpondit Dominus Jobo & dixit: An litigare cum Omnipotente ſapientia? Redargutor Numinis reſpondeat ad hoc. Confere ſemel cum illo manus* (a), *diu hujus pugnæ memineris, neque*

(a) שים עליו כפך זכר מלחמה אל תוסף Miram Hebræi idiomatis ambiguitatem! Schultens interpretatur, non abnuente textu, de Leviathane ſcil. intelligens; *Cominus monſtrum depone, atque ita illud feri, ut ictum conduplicare non ſit neceſſe. Memor eſto belli!* Formula militaris, qua Mars accenditur. *Ne addas*; altera formula quæ hoſtem uno ictu conficere jubet. (Confer 2. Sam. XX. 10. de Joabo, Hamaſam uno ictu confodiente.) Sed cum de Leviathane hic non agatur, alter ſenſus, *diu belli memineris*, haud dubie præferendus.

neque aggredieris ultra. Ecce ſpes ejus (aggredientis ſcilicet) *mendax facta eſt: Sane, vel ad conſpectum ejus proſternetur. Nemo adeo truculentus* (a) *qui illum laceſſere audeat* (b); *quis enim coram facie mea conſiſtet? Quis prævenit me & rependam? quicquid ſub cœlo eſt, meum eſt. Reſpondit Jobus; vilis ſum, quid reponam? Manum ori admovebo. Semel locutus ſum, ſed nihil regeram, & bis, ſed non iterabo.* Manifeſtum, his ultimis verbis adludi ad id, quod modo Dominus dixerat, *belli memineris, neque addes.* Unde etiam patet, de Deo nobiſcum intelligendum, non de Leviathane. Agnoſce jam cohærentiam ſummam aptarum ex ſe invicem ſententiarum. Ab altera parte redi ad deſcriptionem Leviathanis. Si alienum prorſus adſumentum demas, ea continenter fluit & progreditur, facta verſus 36. Capitis XXXIX. cum tertio verſu Capitis XLmi. commiſſura. *Implebis ſpiculis cutim ejus, & ferramentis piſcatoriis*, aut *gurguſtiis, ejus Caput. Non ſubticebo membra ejus ramoſa &c.* Nimirum proclivi nexu, Capite belluæ memo-

(*a*) Perſonarum mutatione, in hoc libro & ſtylo, nihil frequentius, uti ſæpius Schultenſio notatum.

(*b*) יעיר *excitabit, laceſſet.* Id ſæpius fecerat Jobus, dum ad certamen audacius provocaret, & in judicio cum eo ſe experiri velle, identidem profiteretur,

memorato, ad membrorum delineationem pergit. Dum contra, quæ nunc textui interpoſita leguntur, plane ſunt ἀπροσδιόνυσα, & deſcriptionis tenorem interturbant. Quam incaſſum laborent Interpretes, ut hunc nexum reperiant, vide ſis apud Schultenſium; infauſtorum conatuum te miſerebit; quin & ſibimet plaudentem Schultenſium miraberis, Commentarii p. 1185. ubi ſic ait: *Pro noſtris rationibus, uti nihil illuſtrius pictiuſque hac deſcriptione belluæ terribiliſſimæ, ita nihil quoque limatius deductiuſque ad univerſam ſeriem.* Adeò ſua quemque delectant!

Forſan dices, ſupra me agnoviſſe antiquos Scriptores, interque eos Noſtrum, ordinis negligentiores fuiſſe, ut inde arguas, quam hîc reſtitutionem urgemus, minus fuiſſe neceſſariam. At multum intereſt, an ordinis Scriptor adeo tenax ſit, ut accuratæ methodi leges anxie ſervet, & ſententias ubique ſuas continenti ſerie ordinet; an vero ſic perturbatæ ejus rationes ſint, ut, quæ indivulſo per ſe vinculo junguntur, disjungat, & præpoſtero loco intrudat.

IN CAPUT XLII.

Vs. 1. *Reſpondens autem Job Domino dixit* &c.] Decora & gravis totius Dramatis clauſula, nec non inſigne parabolicæ Fabulæ ἐπιμύθιον; ut, ipſo Deo cauſſam Providentiæ ſuæ adſerente, ſe victum ſimul & convictum Jobus fateatur, ſuoque exemplo nos doceat, Sapientiæ divinæ conſiliis, quantumvis imperveſtigabilibus, ſumma cum animi demiſſione & reverentia, nos acquieſcere debere. Id jam tribus verbis expreſſerat, conſentaneè admodum ad ἦθος & πάθος, ne ſi ad ultimum Jobus, per tam longæ Orationis tenorem, tacuiſſet, quæ eum majorem in modum afficere debuit, contumaciæ inauditæ accuſari poſſet. Quæ ſequitur narratio inſtaurationis fortunarum Jobi, ad operis ſcopum neceſſario pertinet, ut cum didicerimus Providentiæ occulta ſilentio eſſe adoranda, & fidei obſequioſa reverentia ſuſpicienda, eadem ſciamus Deum tandem aliquando retecturum, ut eorum tum ſapientiam, tum æquitatem nobis ob oculos ſiſtat, & pleniſſime approbet.

Vs. 3. *Quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia?*] עצה בלי דעת. Excidit

hîc

hic כמלין; nam manifeſta eſt repetitio divinorum verborum ſup. XXXVIII. 2. ut & verſus quartus; quod cum minus adverterint Interpretes, ob leviculum diſcrimen utriuſque loci, in varia ſe ſcindunt. Sunt, qui de Deo exponant, quibus ſe comitem addit Schultenſius, ſic ſententiam interpretatus: *Quis hic obſignans conſilium, quod noſci nequit?* Bonus eſt ſenſus. Sigillum in S. Scriptura, præſertim apud Prophetas (*a*) notat tectum illud & impervium, quo Deus ſua decreta & conſilia à mortalium obtutibus removet, & abſcondit; quod ſigillum integrum remanet, uſquedum ea ipſe Deus exſequendo aperiat, ut videre eſt paſſim in Apocalypſi Johannis. Sic Jobus divinam ſcientiam, ſibi imperviam fatebitur. Obſcurant divina conſilia homines, dum ea ſe divinare poſſe confidentes, propriique ingenii acie penetrare, aliis eadem pandere ſatagunt, aut ex inventis à ſe hypotheſibus explicare. Obſignat eadem Deus, non revelando; quippe ſuapte natu-

(*a*) Id egregie docuit Vir ſummus, & inter principes propheticorum Scriptorum Enarratores meritò numerandus, *Jacobus Abbadie*. Vide *Ouverture des ſept Sceaux*, Tom. I. pp. 356. & ſequent. Quem Librum qui volverit ſedulo; is magnum operæ precium feciſſe ſe deprehendet.

natura tam alte demerſa; ut ingenii humani vis omnis iis perſcrutandis impar ſit. Magis tamen naturale videtur, verba ipſiſſima eſſe Capitis XXXVIII. quæ per mimeſim repetita ſibi applicat Jobus, q. d. ille ego ſum, de quo dixiſti: *Quis eſt, qui obtenebrat conſilium ſermonibus imperitis?* העלים ſynonymum eſt τῷ חחשיך atque idem valet. Ut nimis argutum ſit, leve vocum diſcrimen captare, ad diverſam ſententiam exſculpendam. Quod enim obſcuratur, idem & abſconditur. Nimis jam clarum, quod monuimus, noſtro loco vocem במלין à priori repetendam, aut excidiſſe, aut ſubintelligi.

Firmat hanc ſententiam verſus ſequens, ubi eadem mimeſi, dicta ſibi à Deo verbatim repetit, irriſionemque ac reprehenſionem ſui juſtiſſimam continere, ultro fatetur. *Audi quæſo, & loquar; quære ex me, & indicabo.* Quæ à Deo in Jobum intorta, à Jobo refundi in Deum, eique aptari nequeunt, cum aliqua proprietate. Audivit Jobus Deum ſua jura adſerentem, ſibique abunde ſatisfactum agnoſcit, nihil quicquam ſe habere faſſus, quod reponat. Non amplius eum interrogare auſit, neque omnino eſt opus; adeoque in humili pœnitentiæ ſuæ confeſſione deſinit.

ſinit. Sic amborum verſuum ſe viciſſim illuſtrantium ſenſus pateſcit.

Vs. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.*] Multa a. l. varie diſputant Commentatores de auditione auris, de viſione Dei externa & interna, quæ mihi, ſi liceat fari quæ ſentio, videntur parum ad rem. Satis eſt ſi cogitemus, Deum ſeſe ſervo ſuo in ipſo tentationis exitu revelaſſe. Quod ut in veri Jobi hiſtoria pro indubitato tenendum; ſic in Fabula, ſeu Dramate, repræſentatum allocutione illa ex turbine. Quoties autem Deus Patriarchas extraordinario modo affari dignabatur, tenendum tunc portentoſa quædam phænomena ſenſus eorum perculiſſe, indeque acerrimum divinæ præſentiæ ſenſum mentem ſimul adfeciſſe, & quaſi repleviſſe. Qui divinæ cognitionis modus eum longe præcellit, qui ex revelatione aliis facta, Traditione, lectione, denique ex auditu narrantis auditu, animis inſinuatur. Id Jobus intellectum vult, cum dicit, ſe propriis oculis Deum vidiſſe. Id enim ſignificat, ipſi ſe Numen præſens haud aliter ſtitiſſe, quam qui nobiſcum Amicus familiariter verba conſerit. Unde patet, Dei viſionem externam ab interna nunquam divelli, cum hæc nihil aliud ſit,

Vide 2. Petri 1. 16-18. ibique Interpretes.

Digitized by Google

niſi patefactio quædam Numinis, ubi externorum viſorum ope, intimum mens haurit divinitatis ſenſum. פנים אל פנים uti de Moſe dictum, Deut. XXXIV. 10. πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, Apoſtolo 1. Cor. XIII. 12. ſeu, ut Johannes loquitur, στόμα πρὸς στόμα. Huc referendum, quod puris corde Chriſtus ipſe pollicetur. *Auditu*
Matth. V. 8. *aurium de te acceperam, nunc vero oculus meus vidit te.* Præclara vox, haud oſcitanter prætereunda. Quippe cui, quo diligentius introſpexeris, eamque perpenderis accuratius, eo magis reconditam vim ineſſe, comperies. Segnius irritare animos, quæ per aurem demittuntur, quam quæ oculis fidelibus ſunt ſubjecta, recte obſervat Vates Venuſinus. Quæ fando tantum accepiſti, ea levi certe ictu, & evanida quadam umbra feriunt mentem, ſi cum earum rerum, quæ ſe oculis uſurpandas objiciunt, efficacia contuleris. Aliquem, verbi gratia, magni æſtimas de fama notum, quia ex aliorum ſermonibus, aut ſcriptis, factiſve ipſius ad te perlatis, Viri indolem, ingenium, virtutes, dotes quodammodo perſpectas habes. Verum hoc fere nihil eſt ad illam notitiam, quam ex familiari uſu & commercio capies; quando ad illum accedere, coram eum affari, vultum præſentis adſpi-

ſpicere, vocem audire, & colloquio frui dabitur. Eadem ratio eſt cognitionis illius, quam circa res divinas ex Naturæ contemplatione philoſophando adſequimur, & ratiocinio proprio elicimus, ſi ad pleniorem ex cœleſti revelatione hauſtam Dei notitiam contendatur. Ex operibus nempe Naturæ, aut Providentiæ, quæ ſummum Opificem arguunt, idea quædam, aut imago Numinis, menti noſtræ oboritur: at cum ſupernaturali via mentem adflat, atque intimo ſui ſenſu percellit Deus, quando veluti proprio, quod expertus eſt Jobus, ore compellat, tunc præſens Numen quodammodo oculis cernimus, cujus eximio ſplendore animus exſultans perfunditur: tantumque hæc, ex immediata revelatione naſcens, illam quam ſolius Rationis ope adſequimur, cognitionem ſuperat, quantum obſcuram ex alieno teſtimonio de re longinqua fidem, ipſiuſmet rei præſentis conſpectus. Ejuſmodi quoque diſcrimen obſervare licet circa Veritates, quæ ad morum diſciplinam, & vitæ regundæ ſtudium pertinent. Peritorum monita & præcepta, quibus imbuimur & informamur à teneris, credimus quidem docentibus eſſe vera, eorumque rationes utcunque adſequimur; at longe abeſt, quin

plenam & perſpicuam eorum cognitionem teneamus; quippe adhuc omnium rudes, & Magiſtrorum potius auctoritatem in eo, quam propriam conſcientiam ſecuti. Verum poſtquam uſus acceſſit; & rerum experientia, tum auditorum prius & aliquatenus perceptorum veritatem, proprio demum ſenſu, tanquam exploratam, amplectimur. Adeo, ut illud Jobi nobis uſurpandum veniat; *De te quidem aliquid auribus dudum acceperam; at te nunc hiſce oculis vidi.* Cum Jobi effato conferri poteſt Samariæ civium reſponſum. Joh. IV. 42.

Vs. 6. *Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.*] Hebræum אמאס, quod valet, *improbo, repudio, averſor*, non ſine indignatione quadam, ſatis exprimit Noſtri pœnitentem animum. Cur Schultenſius neget, talem verſionem implere vim pœnitentiæ hujus, & quare præferat; *averſor vitam meam*, ſatis exputare nequeo, cum talis vis textui non inſit. Niſi quod Vir doctus, ex incredibili emphaſeôn amore, plus ſemper intelligi vult, quam verborum indoles fert, & ubique intendit S. Scriptorum cogitata. Nec uſquam conquieſcit, donec ad id, quo nihil *cumulatius*, aut *exſuperantius* concipi poteſt, pervenerit.

nerit. Qua via dum ſublimitatem ubique captat, ſæpe in merum frigus exit, aut inanem verborum ſtrepitum. Quod Jobum, audita Numinis increpatione, inconſultius dictorum pœnituerit, abunde ille certe habuit cauſæ. Quod vero propterea vitam propriam exſecraretur, nimium id & immane fuiſſet. Immanius adhuc, ſi אמאס cum Schultenſio vertas *contabeſcam*, in hunc ſenſum: *Liceat nunc porro, ô Deus! ô Pater! cujus Numina non tantum, ſed & viſcera læſi, ſic tabeſcenti perire; atque extremum ſpiritum ſic in cinere & pulvere quod commerui, exhalare, ut non quaſi rebellis & murmurator, ſed ſub potenti tua manu ſubmiſſus, ex miſera hac vita demigrem.* Hæc immodica, ampullata & turgida, ex ebullientis ingenii officina deprompta, non venerationem S. Scripturæ conciliare apta ſunt; ſed potius ejus deridiculo habendæ profanis ingeniis occaſionem præbent. Is tamen κομπασμὸς adeo ſuaviter arriſit Schultenſio, ut addere non dubitarit; *Ni hoc dixiſſet Noſter, pœnitentiam ſeque Deoque dignam non egiſſet.* Vide, quàm ſibi conſtet, qui dum talia ſatis pro imperio ſancit, idem tamen tota commentatione, quicquid durius Jobi ore exciderat, ſic emollit, ſic incruſtat aut flectit, ut vix tenuis labe-

culæ umbram huic adhærere patiatur! Neque hunc apologiæ modum tenet; ſed idem mox ad ſequentem verſum audacter jactat p. 1223. *Se eadem illa, recta & certo ſenſu juſta piaque fuiſſe, perviċturum.* Sic nempe ardenti Vir ingenio, ictu oculi citius, in partes ſibi invicem contrarias proprio impetu fertur. Sed ad rem redeamus, & miſſo faſtu, eam qualis fuit, ita ſimpliciter enarremus. Cum Jobo, homini probo cæteroquin & pio, plura in Numen, haud ſatis reverenter prolata, doloris vis extorſiſſet, nunc erroris admonitus convictuſque, ea omnia damnat & recantat, ſeque acerrima tangi pœnitentia profitetur. Nihil enim aliud ſignant *pulvis & cinis*, quicquid arguten-tur Interpretes.

Vs. 7. *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job.*] Nemo ſane demirabitur iram divinam in Triumviros exardeſcere. Vexaverant amicum, non ſuſpicionibus ſolum iniquis, ſed objurgationibus & calumniis atrociſſimis. Eundem quem, nullo merito ſuo inauditis ærumnis conflictantem, dulcibus alloquiis conſolari, quem jacentem erigere oportuerat, acerbo judicio preſſerant, crudeliterque abſque ullo colo-

re

re fuerant inſectati; ut is cumulus reliquo dolori haud levis acceſſerit. Ad hoc, præcipiti judicio abrepti, de divino regimine prave ſenſerant, male diſſeruerant. Quis jam dubitet, quin haud leves pœnas ſupremo Judici debuerint? Ejuſdem ore Jobum immerito accuſatum abſolvi par fuit, & inculpati moris teſtimonio à veraciſſimo Numine decorari. Sed ſi vita integra fuit, num ſermones itidem in concertatione iſta habiti vitio caruerunt? Minime id dici poteſt. Excuſandi quidem videntur ab æquiſſimo & indulgentiſſimo rerum æſtimatore, at non approbationis ſigillo muniendi. Et tamen in textu legitur: לא דברתם עלי נכונה כעבדי איוב. Difficultatem, Lector, probe ſentis; ſed ſi ad Interpretes recurras, nullus eſt ex iis, quicquid æſtuent, & omnem rudentem moveant, qui ex his anguſtiis emergat. Jobum plura effutiiſſe incondita & dura de Numine; voces procaces jactaſſe; querelas emiſiſſe in Deum Optimum Maximum injurias, manifeſtius eſt, quam ut negari, aut ullo pacto eludi poſſit. Quid faciendum igitur? Hebræa introſpiciamus attentius, in iis videbimus, ni fallor, quod Interpretum, quotquot ſaltem mihi noti ſunt, aciem fugit. Ea

ſic optime verti poſſunt, atque adeo debent: *Non locuti eſtis de me recta aut convenientia, ad negotium ſervi mei quod attinet.* Splendide nimirum & aptiſſime verba fecerant de majeſtate & gloria, de ſanctitate, bonitate, ſapientia Numinis; nihil ut in Poëtarum aut Philoſophorum ſcriptis circa hoc argumentum reperias, quod non præ horum tractatione ſordeſcat. Imò, ut plus dicam, nihil in univerſo S. Scripturarum ambitu exſtat magnificentius, quam quod apud Noſtros auditur. At in eo peccatum ab ipſis eſt, quod de Providentiæ rationibus, & agendi modo circa bonos & pios, male judicarint; quod horrendo Jobi caſu perculſi, eum, qui tamen innocens intuentibus videbatur, & revera erat, occulti neſcio cujus ſceleris pœnas pendere conſciſcerent; injuſtum fore Numen judicantes, ſi Jobus culpa immunis tam infanda pateretur: quodque maluerint exploratiſſimæ amici innocentiæ notam inurere, & ſtellis nebulam ſpargere candidis, quam conſilia Providentiæ ſibi abſcondita fateri, eamque taciti adorare. Illud tandem eſt, quod Triumviris Deus exprobrat: *Non de me rectum locuti eſtis circa Jobum*, ſeu *quantum ad eum ſpectat.* Hoc uno verbo ma-

gna

gna lis deciditur; præfocatur calumniantium rabularum obſtreperus ſibilus, Viri integerrimi caput laudis immortalis corona cingitur. Quamvis præcedenti ſermone, Jobi quoque inconſultæ & audaciores querelæ redargutæ pro merito fuerunt. Illud enim fidenter dico, & pro certo adfirmare auſim, ex divina oratione præcedentium Capitum neceſſario inferri, quod Jobus de Deo ſemper locutus non eſt נכונה, id eſt recte, digne, convenienter. Omnes fefellit particulæ Caph ambiguitas in כעבדי non animadverſo, Caph ibi ſimilitudinem minime notare, ſed tantum relationem ad eam rem, cui præfigitur, uti ſæpe alias. Qualem etiam (*a*) poteſtatem habet ei reſpondens ὡς Græcorum. Huc appoſitum, quod Doctiſſimus Coccejus in Lexico obſervat, Caph ſæpe notare circumſtantiam rei & connexionem, infinitivo præfixum. Eandem vim habet junctum nomini, ut Eſaïæ LVIII. 4. *Non jeju-*

natis

(*a*) Docent Grammatici, ὡς Græcis cum accuſativo junctum, fungi nonnunquam vice præpoſitionis πρὸς vel εἰς. Varia exempla adducit H. Stephanus in Lexico. Qui etiam hanc particulam confert, cum Hebræorum Caph præfixo. Locutiones, ὥς γε μοὶ δοκεῖν, ὥς γε πρὸ τοῦ ἐγένετο, ὡς γε δὴ ὁ ἐμὸς λόγος, hanc vim produnt relationis aut reſpectus.

natis כיום הזה *ſecundum diem hunc.* Id eſt, ut jejunare oportebat, ratione hujus diei habita. Conjici etiam poſſet, noſtro loco Beth, pro Caph, legi debere; בעבדי *in ſervo meo*; *quod* ad caſum ejus *adtinet*, *non rectum eſtis locuti.* Sed receptam lectionem, cui ſenſus ineſt, quem dixi, ſollicitare nihil opus. Hic objicies, ſat enim ſcio, ſi Jobus eadem inconſiderati ſermonis, cum tribus adverſariis, culpa involvitur, quare ii ſoli gravantur divina ſententia? Sed reſponſio eſt in promptu. Haudquaquam nimirum par fuit ratio Jobi, atque adverſariorum, nec æqualiter ab hoc & ab illis peccatum dixeris. Jobus, intemeratæ ſibi innocentiæ conſcius, ex doloris vehementia, in voces non ſatis cum debita Deo reverentia, & animi demiſſione congruentes, eruperat; quod venia dignum judicat benigniſſimus Deus, poſt objurgatum merito tamen, ea gratia, Jobum. At Triumviri, cum eos nihil ad ejusmodi ſævitiam ſtimularet, & contrarium potius omnia ſuaderent, provocante in id nemine, nullo indicio permoti, miſerum Jobum inſectantur, & contumelioſis ſuſpicionibus, quid ſuſpiciones loquor? Imo

Imo apertis criminationibus onerant; de Dei interim erga eum providentia ea cogitantes, quæ à vero erant alieniſſima. Æquum igitur fuit, ut innocentia Jobi patefieret, ſimulque divinum, in eo tot plagis vexando, conſilium: & quod conſequens erat, ut Accuſatores in reorum viciſſim ordinem tranſditi, inconſulti judicii, calumniæ, immanitatis damnarentur; ut juſto illi pudore ſuffunderentur, nec niſi ſupplicante pro iis Jobo, cum Deo demum in gratiam redirent.

Dum tres viros illos, lata ſententia condemnatos audimus, de Elihuo interim altum ſilentium eſt. Cauſam requirunt Interpretes, nec facile inveniunt; aliis atrum, aliis vero album huic ſilentio calculum ſubeſſe volentibus. Potius ego ſic reliquorum damnationi exemptum crediderim. Longe enim à Triumvirorum, ejus ſententia diſcrepat: cum & moderatius, & meliori animo, & verioribus principiis nixus, in Jobum inſurrexerit; nimiam ejus audaciam, impatientiam, propriæque innocentiæ fiduciam, quaſi nullius culpæ labe adſpergeretur, redarguere contentus, & conſciam virtutem ultra modum efferentem, ſeſe retundere. Diſerto encomio juvenem

nem ornari, neceſſe non fuit, cujus dicta ſua ſe veritate ſatis approbant. Porro ſi cogitas, ejus cauſam à cæterorum cauſa ſejunctam eſſe, & orationem talem, ut ei Jobus ipſe nihil reponendo, acquieviſſe videatur; hoc inquam poſito, quod ſententiæ in cæteros latæ non involvitur; ſatis indicat, Dei ſuffragium tuliſſe. Denique ſpectandus hîc tantum reſtabat, integritatis Jobeæ, aſſertore Deo, meritiſſimus triumphus. Nec, uti modo obſervatum, Jobus pronunciatur recta ſemper locutus. Quod ſi foret, Elihui aggreſſio hoc ipſo reprobaretur. Sed cùm Eliphas, Bildad, Sophar, Elihuo præterito, circa Jobi negotium ſoli non recta locuti perhibeantur, id, ut ab una parte Jobum ab impactis criminibus abſolvit, ſic ab alia, Elihuum recta locutum arguit.

Vs. 10. *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Jobi.*] Infeliciter Vulgatus ſic expreſſit Hebræa ויהוה שב את שבות איוב. Melius Schultens; *& reduxit Jehova abductionem Jobi*, litteræ adhærens. In re planiſſuma argutias, pro ſolito, quærunt Commentatores. Mercerus captivitatis figuram eo pertinere vult, quod in manum Satanæ quaſi traditus fuiſſet, atque

ſub

ſub malis, plagiſque ab eo immiſſis, conſtrictus teneretur, donec eum Dominus ſolviſſet, atque in integrum reſtituiſſet. Diverſus inde abit Schmidius, captivitatem reſtringens ad deſertionem & ſolitudinem, in qua Noſter, quaſi captivus aliquis ſederit, per ſacrificationem hanc ei reſtituta apud omnes auctoritate, & finita velut illa captivitate. Neſcio quo fato tam frequentes ad talem figuram confugiant; quam & ipſa ratio, & uſus ſermonis, & ſtyli character, qui hoc Capite hiſtoriæ ſimplicitatem rurſus induens, à metrica ad ſolutam orationem tranſitum fecit, omnino reſpuit. Quis, niſi verbis vim inferendo, in שבות ſolitudinem intelligat, aut deſertionem à propinquis? Aut quis eſt, qui rem ſimpliciter narrans, hiſtoricorum more, ut depulſionem malorum, quæ malitia Diaboli Jobo impegerat, ſignificet, id nuncupet *reductionem captivitatis Jobi*? Contra, Hebræorum Scripturis frequentatum שוב את שבות pro, *eos qui in captivitatem abducti, vinculis liberare*, & *domum aut in patriam reducere*. Sic Apocal. XIII. 10. *ἐι τις αἰχμαλωσίαν συνάγει ἐις αἰχμαλωσίαν ὑπάγει*. Melius igitur accipit Schultens, de fortunarum inſtauratione col-

collapſarum, huc & illuc diſſipatarum: niſi quod nimis vaga ſit interpretatio, nec ad locutionis proprietatem exacta. Manifeſtum, hîc agi de abactorum gregum, ſervorum &c. recuperatione. Miror, quare Schultenſius tam obvium ſenſum rejiciat, & faſtidioſe repellat, *tortum vocans & tractum contra rem ſimul & naturam linguæ. Nunquam ſuſpicatus fuiſſem*, inquit, *ſimile quid Cl. Clerico placere potuiſſe.* Quidni vero placuerit? Quæ ſola ſincera & naturalis, cum alia omnia ſint tracta & torta. Dic enim, quæſo te, Vir perſpicaciſſime! non greges, quos poſſidebat Jobus, à graſſatoribus fuerant abacti, captis ſimul abductiſque in ſervitutem Paſtoribus? An incredibilius ergo eſt, parvo poſt tempore, (nihil enim cogit, ut diuturnam calamitati huic durationem tribuamus, contrariumque multa ſuadent;) eoſdem domino ſuo reſtitutos, Deo ſic jubente, &, quod mille potuit modis, procurante? Pluſne in tali reſtitutione, & à manibus latronum recuperatione, miraculi erit, quam in denuo præbita armentorum & gregum vi, imo conduplicata? Cæterum, mentione injecta ſacrificiorum, quibus Triumviri Deum, mediante Jobo, propitiarunt, oppor-

opportune direpti pecoris recuperatio ſeſe intulit. Loca Schultenſio laudata, Pſal. XIV. 7. LXXXV. 2. Jerem. XXX. 18. quibus addas licet Pſal. LXVIII. 19. collatum cum Apocal. XIII. 10., de aſſertione captivorum in libertatem intelligenda. Magno nihilominus contemptu hanc ſententiam Schultenſius repudiat. *Domus*, inquit, *ruinam excitare, & fortunas disjectas colligere, qui apud Latinum Auctorem de iisdem numero rebus, neſcio unde revectis, interpretari vellet, quid tandem in litteris hiſce valere cenſeretur?* Triumphabundæ huic interrogationi reponimus, longe diſpar eſſe exemplum. Quam enim nobis adfert Schultenſius, generalis eſt locutio, quæ ad res ſingulares, ex locis unde abductæ fuerunt, revectas, nullam relationem habet. Contra, quod noſtro verſu legitur; *Reduxit Dominus captivitatem Jobi*, fieri vix poteſt, quin greges ovium, boum armenta, à Sabeis & Chaldæis latrocinio abacta, in memoriam revocet, ac proinde ad ea referri debere, cenſeatur.

Ibidem. *Et addidit Dominus Jobo omnia, quæcunque fuerant, duplicia.*] Luculentum ibi habes prolixi in Jobum favoris, à Deo, pietatis remuneratore, argumentum, qui

qui priora damna tanto bonorum incremento repenſare dignatur. Quippe non ſatis duxit, amiſſas ei opes, quæ ampliſſimæ fuerant, reſtituere (*a*); ſed duplo eas auxit, ut Viri integerrimi conſtantiam hoc veluti præmio donaret. Quod quidem locum legenti ſatis obſervatu proclive eſt. At quis cogitaret indidem extundi poſſe argumentum, pro immortalitate animorum? Id tamen magno acumine vidit, aut ſibi cernere viſus eſt, eruditus & pius D. Worthington Libro, cui titulum fecit; *The great duty of ſelf Reſignation*, Cap. IX. p. 174. Quod nimirum conficit ex collatione verſuum 12 & 13^mi^. eo pacto. Circa reliqua bona, quorum jacturam Jobus fecerat; legitur, altero tanto ditiorem factum, adeo ut armentorum, pecudum, jumentorum amiſſorum, duplum acceperit. Ovium quatuordecim millia, Camelos ſex mille, mille Aſinas, mille itidem Boum paria. Filios vero & Filias totidem numero ſolum, quot prius habuerat, non conduplicato, ut in cæteris.

Quare

(*a*) De hujus duplicationis myſteriis plura, cui otium erit, legi poſſunt apud Spanhemium, *Hiſtoria Jobi*, XV. 2.

Quare autem illud? Quoniam ſcilicet priores liberi, quos acerba mors abſtulerat, non prorſus extincti erant morte, ſed anima ſuperſtites vere vivebant Deo; adeoque cùm in rerum natura adhuc dum exiſterent, ad Jobum revera pertinere cenſentur. Quo ſpectat axioma, quod urſit Chriſtus contra Sadducæos, adducto Numinis ad Moſem ex rubo ardente Oraculo; *Deus mortuorum non eſt Deus, ſed viventium.* Matth. XXII. 31. 32. Mirum, ni Rabbinorum acumen erudito Anglo talis inventi palmam præripuiſſet. Imo vero ab iis occupatum, docent Grotius & Codurcus. Schultenſius plures memorat ejus argumenti patronos. Sed gratia Deo! quod luculentiora hujus Veritatis documenta ipſa Vetus, ut de Novo Teſtamento nihil loquar, Scriptura nobis ſuppeditat. Non in argutiis ejuſmodi ludere amat Spiritus Sanctus, aut in abſtruſis angulis momentoſas doctrinas recondere; ſed aut diſertis verbis enunciat, aut ex dictis firma & neceſſaria conſequentia eruendas præbet; ut ex celebri effato: *Deus ſum Abrahami* &c, Chriſtus elicuit. Luc. XX. 37. Num vero Jobi liberos jumentis accenſeas, cujus adauctæ fortunæ pars neceſſaria fuerit, eadem proportione filiorum filia-

rumque proventum exuberare? Ridiculum. Ad parentis felicitatem pertinet liberorum, non præciſe magnus numerus, ſed virtus & egregia indoles. Cæterum de Jobi uxore, quid ea ſit factum, altum ſilet Scriptor ſacer. Quæ vera marito fundi ſui calamitas. Ut ejus tam male moratæ obitum lucro apponere debuerit; pace id Schultenſii ſit dictum. In dubio relinquit Spanhemius, an forte reſipuerit, quod optandum, & ex eadem matre liberos Jobus poſteriores ſuſtulerit.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

ABbadie (Jacobus) laudatus. p. 403. Propheticorum Scriptorum Enarrator optimus. ib.

Abductio Jobi, quid ſignificet. p. 417. v. voces Heb.

Abrahami fides commendata. p. 326. Ex eo Jobus per Cethuram ortus creditur. p. 77.

Adagia, aut voces memorabiles ex vero proditæ, quem, Poëmati intertextæ, ei decorem conferant. pp. 44. 69.

Adam ad ejus lapſus hiſtoriam alludit Jobus. p. 298.

Addiſon laudatus. p. 392.

Ἀκαταληπτα impii libenter confundunt cum ἀσυστάτοις. p. 140.

Allegoriarum nimius amor Interpretibus cavendus. pp. 14-17. Cujus intemperiei exempla vide pp. 221. 251. 291. 344. Item. p. 395. Allegorica ſæpe permixta hiſtoricis p. 42.

Amici Jobi, de Deo circa Jobum recta non locuti. p. 412. Perſonatos in Poëmate loqui, arguit calumniarum atrocitas. p. 29. 33. 210. & paſſim alibi.

Angelorum lapſus. Ad eum reſpicit viſio Eliphaſi. Ea occaſione, loci memorabilis Epiſt. Judæ v. 6. expoſitio nova. p. 100.
'Αποκαλεςασις πάντων quid per id intellectum. p. 75.
Aquæ peregrinæ quid notent apud Jeremiam. p. 235.
Arabes, gens antiqui moris ſervantiſſima. p. 170. V. *Traditiones.*
Arabiſmi præter modum miratores a *Salmaſio* perſtricti. V. Præfat. Fol. XVII. nota (*a*).
Aranea Schultenſio eleganter deſcripta. p. 126.
'Αρχὴ aliquando *originem* notat, & *exiſtendi principium.* p. 100.
Aſtrorum cultus antiquiſſimus. p. 300. Ab eo Jobus ſe abhorrere teſtatur. ibid. Paroemia de hoc Arabum illuſtrata. ibid.
Atterbury (Franciſcus) Roſtæ Epiſcopus, inter Oratoriæ Sacræ Principes numerandus, laudatur. p. 285.
Auſitis, Jobi patria. p. 7.

B.

B*Alaam* falſo creditus idem fuiſſe cum *Elihu.* p. 5.
Behemoth, per eum Diabolus nonnullis intellectus, qui a Jobo demum victus, ut Chriſti typo, p. 395.
Bentley (Richardus) a variantibus Codd. Græcorum N. Teſt. Lectionibus nihil eſſe periculi demonſtrat. Præfat. Fol. xx.
Boëthius laudatus. p. 262.
Bochartus & *Boothius* refelluntur. p. 390.
Boblii interpretatio coacta. p. 112.

Bol-

Bolduc Monachus, ex Commentatoribus Jobi non infimus, quanquam cuculli nimium memor, laudatus. p. 303. Ejus obſervatio, quantumvis acuta, reprehenditur. ibid.
Bolæus, huic meritò Perraltus vapulat. p. 274. V. *Comparationes.*
Burnetus (Thomas) laudatur. p. 5.

C.

CAlamus à vento quaſſatus, apud Lucam quid deſignet. p. 292.
Calvinus (Joh.) ſenſum liberationis temporalis in oraculo Jobæo de *Goële* amplexus, quamvis altiorem ſubeſſe ſuſpicetur. p. 73. Laudatus itidem p. 233.
Calumniæ Theologorum opportune à Schultenſio perſtrictæ. p. 340.
Capellus (Lud.) punctorum Hebræorum religionem ſuſtulit. Præfat. fol. xx. ſeq. laudatur. p. 52
Carteſius (Ren.) laudatus. p. 147.
Cauſæ ſecundæ ſuam habent efficaciam manantem a prima p 354.
Chaldaiſmis abundare Librum Job nihil mirum. p. 6 & ſeq.
Chremes & *Micio* Terentianus, iis ſimilem facit Jobum doctiſſimus Interpres p. 193.
Chriſtus Elihuo adumbratus ſub titulo מליץ, id eſt, *Oratoris*, *Internuncii*. p. 332. & 333.
Chryſoſtomus de Uxore Jobi quid cenſeat. p. 81.
Cicero laudatus. pp. 105. 139.
Clericus (Joh.) defenſus. pp. 122. 220. Laudatus. 258. 343. Vindicatus 358. 369. Notatus 113. 115. Denuo vindicatus 418.

Coccejus (Joh.) notatus p. 131. Laudatus 174. item 413.
Codurcus etiam apud Pontificios avitæ inſtitutionis memor. p. 112. contra Eliphaſum invehitur. ibid. Ab eo Elihui dictum feſtive redditum. 312. Laudatur 90. Notatur. 367.
Cœli ſolidi & cryſtallini, veterum error ab ipſo Moſe revictus p. 380.
Comparationes Syrmaticæ dictæ, quæ? p. 274 Duæ propter ſublimitatem inſignes. p. 295.
Copernici Syſtema à *Stunica* Salmanticenſi Monacho comprobatum, ipſiuſque Jobi auctoritate fultum. p. 127.
Conſervatio rerum, non eſt iterata earum, aut perpetua creatio. pp. 344 & ſequentibus.
Conſueſcere Deo, quid hæc locutio potiſſimum importet. Excurſio Ethica. pp. 275-285.
Crinſos laudatus. pp. 147. 176.
Critica (Ars) eandem methodum ſequi debet in ſacris, ac in profanis. Præf. ad Lectorem. V. *Hare.*
Criticæ conjectationes, ſeu ariolationes circa duo perplexiſſima Jobi loca. p. 306. item p. 396.
Cudworth laudatus. p. 140.
Cultus divinus, nobis ex immutabili lege præſcriptus, quamvis eo Deus minime indigeat. Eliphaſi dictum circa hoc illuſtratum. pp. 201-210.

D.

DEi idea nobis inſita p. 139 & quidem poſitiva. Refelluntur, qui agnoſcunt negativam tantum 141. Dei incomprehenſibilitas non obſtat, imo per eam ideam ſolum probatur. 141. Dei immenſitas 150. ſcientia 149. ſanctitas & puritas 99.

99. Deus neminem in fraudem impellit 157.
Derham (Wilhelmus) laudatus p. 377. not. (*a*)
Deſcriptiones Orientalibus per ambitum circumductæ. Taliumexempla p. 274. Collatio Jobi Cap. XXVIII. cum Epoda 2da Horatii. ibid.
Dies atri & exemptiles, quibus ſuum natalem Jobus accenſet. p. 92.
Divitum exitus, tanquam evigilantium a ſomno p. 257.
Dramatis ἦθος ſervatum p. 394.
Dramaticæ Poëſeôs uſus quam antiquus. p. 23. Sinenſibus ante tria annorum millia uſurpatus. p. 2[illegible].
Druſius laudatus pp. 161. 286.
Dupli reſtitutio Jobo facta quid notet. p. 420.

E.

E*Libu* ejus ſapiens regula p. 311. Cur ſolus ex Jobi amicis à Deo non culpetur 415. ejus perſona quantum ad S. Poëmatis decus confert 312.
Eliphaſum mendacii, & flagrantis in Jobum calumniæ abſolvere difficile eſt p. 211. 215.
Emendandi prurigo non magis culpanda, quam allegoriſandi p. 290.
Emphaſeôn amor, quàm S. Scripturæ interpreti formidoloſus, vide pp. 78. 136. 168. 197. 223. [illegible] 408. & alibi paſſim.
Equi nobilis hypotypoſis illuſtrata p. 392.
Eraſmus laudatus, addend.
Erpenius laudatus p. 300.
Etymologia in ſenſibus vocum eruendis ſæpe fallit; cum non ex origine, ſed ex uſu earum

acceptio ſit æſtimanda p. 107. item 171.
Expiatio peccati quare neceſſaria pp. 207 & ſeq.
Exponere voces *pro loco*, vetant Judæorum Magiſtri. Sed ſi illud divinare eſt, nonnunquam eſt ſcopum ferire. p. 389.

F.

F*Actorum* a Deo rationem non reddi, quo ſenſu intelligendum? p. 323.
Familiaritas cum Deo contracta, beatitudinis fons p. 282. V. *Conſueſcere Deo.*
Fidem τῶν μὴ ὁρωμένων magnopere Scriptura commendat p. 325.
Flagellum linguæ quid notet p. 129.
Fontanella ejus de antiquorum Heröum indole apud Poëtas ſcita obſervatio, nonnullis Theologis aptanda. p. 321.
Fortunæ filii. Eorum lapſus miſerandus iconice deſcriptus p. 295.
Fourmontius laudatus Præfat. Fol. xxi.

G.

G*Enevenſis Verſio.* Ejus prudentia laudatur. p. 223. Eadem defenditur. pp. 128. 229 & 338. & alibi paſſim. Eadem cum Belgica notatur 284.
Geographi hodierni, item *Aſtronomi*, Elihuo in utraque ſcientia peritiores. pp. 378-381.
Gratiæ cœleſtis aura mens hominum vegetatur. p. 306.
Gregorius Magnus, Papa, de ejus moralibus in Jobum, & allegoricis interpretationibus, judicium pp. 238. 290.
Grotius laudatus pp. 129. 421.
Guet (*du*) Abbas, laudatus p. 380.

H.

HAmmondus laudatus. p. 293 & 371. not. (a)
Hare (Franciſc.) Ciceſtrenſis Epiſcopus, ejus inſignis locus, circa Criticæ Sacræ excolendæ rationem. Præfat. Fol. xxi. & ſeqq.
Hebreæ voces explanatæ.
קבל ſimplice *accipiendi* ſignificatione gaudet. p. 37
סעפים *cogitationes varias & implexas* ſignat. p. 95
דממה *aura* levis & *ſuſurrus*. p. 98.
תהולה proprie *ſtultitiam* ſonat. p. 99.
בני רשף non fulmina ſunt, ſed *ſcintillæ* e ſubterraneis ignibus emicantes. p. 114.
מאסתי poſitum pro מסתי *contabui, diffluxi*. p. 120
ענה pro *confutare* ſæpe uſurpatum. p. 152.
עשתות *cogitationes ſuperbæ* Chaldæis. p. 156.
תפל *confuis*, *concinnas*, notat; minime vero, *iniquitatem allinis*. p 168.
אם particula ſæpe apud Hebræos adfirmat. p. 217
חתר furum proprium, non amatorum. p. 229.
שאול חטאו quid & quos deſignet hæc locutio, obſcurum. Schultenſii conjectura, quamvis ingenioſa admodum, non perſuadet. p. 233.
מים זרים non *exundantes aquæ*, ſed *è longinquo fluentes*; appoſite ad illas e Libano vicinas p. 236
רפאים mirum quam multiplex iſti voci ſenſus affingatur, proprie *mortui*, aut *occiſi*. p 239.
איננו de re dicitur, quæ non amplius apparet, de æterno exitio nuſquam. p. 260.
כנה huic verbo ſignificatio *ſtabiliendi*, *adfirmandi*, *aſſeverandi pro certo* aliquid, ex themate כון fluens, vindicatur p. 309.
כי pro כי אם ſæpius poſitum. p. 313.
אל particula pro לא ſimpliciter negante ſæpius ſumpta p. 313.
כפר λυτρον, proprie Mediatoris eſt. p. 336.

חבש pro *gubernare*, *coërcere* ſub imperio *continere* ſumptum p. 355.
דין aliquando *cauſa* aut *cauſæ* ſtatus. p. 366.
טחות Jobi XXXVIII. *renes* ſunt, vel invito Arabiſmo. p. 382.
רננים *pavones*, חסידה *ardeam*, נוצה *ſtruthionem* ſignare oſtenditur p. 385 & ſeq.
רעמה cum bona venia φιλεράβων *tonitru* vertendum probatur p. 391. Item שמץ דבר *pauxillum verborum*, non vero *ſphærulam verbi*. p. 251
העלים ſynonymum τῷ תחשיך ea diſtinguere ſenſu, nimis argutum p. 404.
כעברי איוב caph præfixum ſæpe non ſimilitudinem, ſed relationem notat ad id, cui præfigitur. p. 413.
שבות *captivitatem* notat, aut *res abductas*. p. 418
Heroës antiqui, à Poëtis quales effecti. V. *Fontanella.*
Homerus laudatus p. 5. item. 190.
Horatius itidem p. 275.
Huetius (P. Dan.) laudatus p. 4.
Houbiguant ſubſidia ei ad novam Bibliorum Hebraïcorum editionem adornandam adhibita. Præfat. Fol. XXVII.
Hypotheſeôn ſtudium quam obſit Interpretibus. p. 255.

I.

Ikenii palmaria epilyſis Schultenſii calculo comprobata p. 297.
Immortalitas animorum. Sine ea, & melioris vitæ ſpe, concidit Religio, tollitur verus numinis cultus p. 74. Argumentum ejus ex Jobi Cap. XLII. petitum, futile 420. V. *Worthington.*
Inferi de illorum ſede hypotheſis ſingularis p. 248.
Ingeminatio ejuſdem rei aliis verbis, Hebræorum Poëſi ſolenne p. 226.

Inſpiratio. Cujuſmodi illa errores præſtat. p. 376.
Interpretes quam ſæpe vim inferant Textui p. 362 Æquitatis memores eſſe oportet 169.
Jobus. Quænam in hoc Libro ad Hiſtoriam, quæ vero ad Poëmatis ornamentum pertineant 4. 24 29. pp. 40-45. Verus Job probe diſtinguendus a perſonato 165. Defenditur 163. Ejus manſuetudinis inſigne ſpecimen 85. Culpandus 130. Ei immerito blaſphemiæ affinguntur 168. Eccleſiæ typus, potius quam Chriſti 65.
Judæi e Babylonia reduces, ob mores parum idonei, qui per Jobum adumbrentur p. 12.
Juriæus laudatus pp. 5. 6.
Jus Dei in creaturas legibus adſtrictum; illud quod ἀνυπεύθυνον dicitur, Dei naturam evertit. Diſputatio de eo. p. 314-330.

L.

LEviathan num Balæna, num Crocodilus, incertum p. 398.
Libertas creaturarum tollitur, ſi conſervatio a creatione nihil differat 352.
Locorum aliquot perplexorum in Jobo nova epilyſis pp. 151. 173. 235. 385. 411.
Luciani inſignis locus p. 300.
Lucretius laudatus p. 197.

M.

MAgi demurmuratiunculis ſuis imbrem elicere olim eruditi, ut & nunc apud Americanos. V. *Labat* itiner. p. 381.
Maimonides laudatus p. 41.
Malachias Propheta ſub Elihui perſona latere falſo creditur p. 18.

Manilius laudatur p. 249. Aſtronomicas rationes melius intellexit Virgilio. ibidem.
Maſoretharum imperitia p. 119. & præpoſtera religio 157.
Mede (Joſeph) citatus p. 265. not. (*a*)
Medici, eos non reſurrecturos, ex joculari τῶν LXX. errore illatum p. 240. not. (*b*)
Mediatoris officium præclare enarratum Elihuo pp. 333-338.
Mercerus notatus 158. 417. Eum Schultenſius objurgat p. 334.
Metallica ars Jobi ævo multum excoli cœpta. pp. 260. 268.
Milton (Johan.) Satanæ inſidias atque indolem graphice depingit. p. 79. Eum diceres Mundi inviſibilis incolam & ἐπόπτην fuiſſe 101.
Miracula ſæpius edit Deus, quæ oculos fugiunt p. 183 &c.
Moſen probabile Libri Job ſcriptorem eſſe p. 7. Ejus fides & magnanimitas laudata. p. 327.
Moſchus laudatus in pavonis deſcriptione p. 386.

N.

Natalis exſecratio, cum ſpe vitæ melioris parum conſentit p. 88.
Natura. Ex ejus operibus divina exiſtentia firmiter demonſtratur p. 271. Ea Poëtarum more deſcripta ab Elihu p. 379.
Nexus rerum in Poëticis non ſemper urgendus p. 367.
Nihil ſubſtantivum, ſæpius à Schultenſio duriter & importune ingeſtum p. 74. 218 &c.

O.

O.

Oceano cœlum incumbere, eumque lucis & tenebrarum limitem, adeoque ex ejus ſinu ſurgere ſolem, crediderunt Veteres. p. 248.
Orationes apud Hiſtoricos non ex vero proditæ, ſed ad perſonas & res probabiliter accommodatæ p. 29.
Orbis delineatio qualis fuerit antiquis p. 248.
Orcus & Orcini, qui? 247. Nonnullis eſt Materia prima Ariſtotelis p. 266.
Ordo rerum non ad libitum hominum mutandus. pp. 178-186.
Ὡ'ς, Græcis cum accuſativo caſu, ſæpe valet πρός. p. 413. not. (*a*)
Ovidius. Fluvii apud eum elegans deſcriptio. p. 119. laudatus etiam 268.

P.

Parabola. Quid a Fabula Dramatica diſcrepet. p. 21. Divitis & Lazari apud Lucam, ſpeciem habet Dramatis p. 22.
Patriarcharum Religio, qualis? p. 133.
Pavonis delineatio graphica pp. 385-386.
Peccatoribus ſanandis divina methodus p. 331.
Perizonius laudatus. Præfat. Fol. XXXII. not. (*a*)
Philoſophia, quæ prima vocatur, & circa Dei naturam & perfectiones verſatur potiſſimum, optimi magiſtri, Prophetæ p. 150.
Phyſica Jobæo ſæculo parum promota & exculta. p. 379.
Plinius laudatus p. 268.
Pœnarum æternitas, cum Dei bonitate non pugnat p. 361.
Poëtica ars rudis adhuc fuit Jobi ævo p. 373. Cujus Liber vorſa oratione ſcriptus.

Prædia ſua Jobo non videntur ablata p. 303. V. *Bolduc.*

Prologi in Dramate partes quæ? Priora Jobi Capita ejus vicem ſuſtinent p. 24.

Providentiæ conſilia hominibus impervia p. 20. 27.

Punctorum Hebræorum antiquitas à doctis repudiata & inventi novitas detecta. Præf. Fol xx. & ſeqq.

R.

R*Adix aperta.* Qui ex ea myſtici ſenſus Interpretum ope fruticeſcant. p. 289.

Reſurrectio corporum, priſcis temporibus ignota. Non itidem animorum immortalitas p. 74. Dogma reſurrectionis ultimæ, ſub temporalis liberationis ſpe certiſſima latens p. 68. Jobi etiam exemplo, ut & Ezechielis XXXVII. viſione adumbrata. ibid.

Revelationis diverſi gradus recenſiti p. 405.

Reimarus. Ejus truculentum interpretamentum p. 189.

Roques laudatus p. 305.

S.

S*Acrificia* ante Legem Moſaïcam Deo oblata ex jure patriarchali p. 77.

Sanctorum invocationi apud librum Job præſidium nullum. Quærentibus iraſcitur Codurcus p. 112.

Sapientiæ proſopopoeïa & delineatio Jobi XXVIII non ad Deum, ſed homines, quibus ea quæritur, pertinet. Mira de hoc loco ſententiarum divortia. pp. 261 & ſeq.

Satanæ character & graphica deſcriptio p. 108.

Schmidius vindicatus p. 360.

Schultens (Albertus) ejus encomium, Præf. ad Le-

Lect. fol. xv. acumen commendatur pp. 72. 119. 229. 285. 294. eruditio 340 Notatur 78. 87. 105 116. 154. 158. 254. 356. Arabiſmi cultor acerrimus 218. 223. Syſtemati addictior 255. 361. Gaudet ſtylo poëtico 234 Alienæ laudis haud invidus 297. Haud ſatis ſibi conſtat 134. 138. item 410. Emphaſeôn amans 186. Originationibus ſuis nimium litat 174. In apologiis exquirendis ingenioſus 216. Ex uno Jobo duos homines conflat ſibi mutuo adverſantes 224. Allegorica intemperie nonnihil laborat, licet eandem in aliis culpet 250. Clerico iniquior 89. Cui immerito ſuccenſet 369. Cuique iterum ſine ratione iraſcitur 378 Accurate ratiocinandi leges non ſemper obſervat 136. Melius ſuo ducitur, quam alieno judicio 199.

Scotomachia apud Jobum fruſtra quæſita p. 374.

Scriptores θεόπνευστοι, non per eam prærogativam cujuſvis generis nævis caruerunt p. 371.

Scriptura Sacra divinitatis notas habet internas, quas in Jobi Libro ſpeciatim cernere licet. Præf. Ea neutiquam ediſcendis artibus, ſcientiis, naturæ arcanis, comparata 376.

Sherlock (Thomas) Epiſc. Londin. laudatus pp. 54. 56. 195.

Senſus τοῦ κάλλους καὶ τοῦ ὕψους, Criticæ artis pars potiſſima p. 390.

Severi, catena in Jobum, ſcita regula 390.

Sigillum quid notet apud Prophetas 403 v. *Abbadie*.

Simonidis Hieroni ſapiens reſponſum, perperam ad Scepticiſmi confeſſionem detortum p. 139.

Somniorum cœlitus miſſorum indoles 98. Somnium Eliphaſi ab eo minime confictum, ſed vere θεήλατον 97.

Sol

Sol & Luna Jobi XXXI. proprio & litterali ſenſu ſumendi p. 302.
Spiritus qui eſt in homine, quid a *flatu Omnipotentis* diſcrepet p. 306. per רוח non ſemper Spiritum Sanctum indigitari credendum eſt. ibid.
Spanhemius laudatus p. 4. refellitur 23. 31. laud. 43. 16.
Stilus Orientalium, ſpeciatim Arabum, Jobi ævo, a recentiorum poſt Mohammedis æram, quantum diſcrepet p. 154.
Stunica (Didac.) ejus Commentarius in Jobum minime ſpernendus p. 127.
Superſtitio a verâ Religione quid diſtet. 202.

T.

Tellus ſuper nihilo ſuſpenſa, ad ſenſuum judicium dictum, cui tamen ſua veritas ſubeſt. p. 337.
Τηρεῖν, ſumptum pro *obſervare*, *adtendere*. Aliquando *inſidiari* p. 101.
Terminus vitæ fatalis, an ex Jobo probari poſſit? p. 163.
Titulus ſepulcri. Pro tali effatum Jobi XIX. 25. accipere, merus eſt ingenii luſus. 62.
Tonitru Numinis adventum nunciat apud Poëtas p. 368.
Traditiones. Quænam ſit, genuinas à ſpuriis ſecernendi regula p. 170.
Tranſubſtantiationis dogma quam longe petitis, ac ludicris argumentis adſtruatur p. 159.
Tropi. Eorum duritas vitanda p. 118. 186. 197.
Typi. Eorum uſus. Typicorum Vaticiniorum criterium p. 64. 70. item 335. Si quis typice Jobum interpretari aggreditur, ludit operam 395.

V.

V

V Avaſſor laudatus. p. 112. 178. 201. not. (*a*) & 257. reprehenſus. 333.
Vidua ab utero matris deducta, quæ hujus locutionis mens? p. 299. Viduæ non benefacere, quid? 238.
Vinearum viam reſpicere quid ſit. p. 231.
Virgilius mundi ſyſtema minus calluit, quam artem pangendi Poëmatis. p. 248.
Vitringa, immerito eum perſtringit Schultens. p. 245.
Vitæ futuræ ſpes in Jobi & Amicorum ſermonibus conſulto obtecta. p. 164. 167. 200. 359. Licet hìc illic tanquam per nebulas emicet 254.
Voſſius (Iſaac.) laudatus. Præfat. Fol. XX. not. (*a*)
Uſus, ſignificationis vocum optimus magiſter. p. 107. V. *Wetſtein.*
Ὑψομανία, vitium pellax, eoque tanto diligentius cavendum. p. 374.
Uxor Jobi, maleſana, & impia. Eam plerique Interpretes vituperant. Ejus apologia a nonnullis infeliciter tentata. p. 80. item 191 & ſeqq. An poſtmodum reſipuerit, incertum. 422.

W

W Etſtein (Johannes Jacobus) laudatus. p. 107. *Wharburton* ejus ſyſtema, circa Libri Job ætatem, ſcopum, auctorem, refellitur. p. 8 & ſeq. Quale tulerit de uxore Jobi judicium. 117. Iterum laudatur. 177.
Worthington. Quodnam argumentum ducat ex amplificatis poſtliminio Jobi poſſeſſionibus, pro animarum immortalitate. p. 420.

INDEX ALTER

Locorum Sacratiſſimi Textus, vel data opera, vel in tranſitu, & per comparationem cum aliis, explanatorum.

GENESIS

CAput I. verſ. 6. pag. 173.
II. v. 7. p. 343. v. 17. p. 163.
III. v. 17. p. 163.
IV. v. 24. p. 313.
XII. v. 1. & XVIII. v. 21. p. 326.
XV. v. 12. p. 98.
XLIX. v. 3. p. 230.

EXODI

XXXIII. v. 18-23. p. 98.

LEVITICI

XVII. v. 10. p. 78.

DEUTERONOMII.

IV. v. 19 p. 300.
XII. v. 5-6. p. 78.
XXX. v. 12. p. 270.
XXXIV. v. 10. p. 406.

I. SAMUELIS.

I. v. 16. p. 95.

II. SAMUELIS.

XX. v. 10. p. 399.

I. REGUM

XIX. v. 11-13. p. 98.
XXII. v. 19. p. 40. v. 24. p. 239.

II. REGUM

VIII v. 10 p. 119.
XX. v. 1-6. p. 163.

ESDRÆ

X. v. 2. p. 12.

NEHEMIÆ

V. IX. & XIII. p. 12.

JOBI

I. v. 5. p. 77. v. 6-10. p. 107. v. 8. p. 78. v. ult. p. 228.
II. v. 9. p. 80. v. 10. p. 87. & 291.
III. v. 3. p. 88. v. 8. p. 398. v. 6. & 14. p. 92.
IV. v. 3 & 6. p. 93. v. 7 & 8. p. 38. & 112. v. 12. p. 45. 96 & 274. v. 13 & 19. p. 95 v. 17, 21. p. 105. 114 & 218.
V. v. 1. p. 112. v. 7. p. 113. v. 21. p. 114.
VI. v. 2. p. 115. v. 5 6. 7. p. 116. 118 v. 15. 16. 20. p. 118 & 274. v. 21. p. 119.
VII. v. 16. p. 120. v. 7-9. 17 p. 121. v. 15 16 p. 90. not.
VIII. v. 3. p. 189. v. 7. p. 124 & 158. v. 11. p. 125. v. 15. p. 126.
IX. v. 6. p. 127. v. 23 p. 128 v. 30. p. 129.
X. v. 6 p. 169. v. 8 &c. p. 130.
XI. v. 7-9. p. 138. 148. v. 10 11. p. 147. 148 & 221.
XII. v. 4. p. 151. v. 5. p. 153. v. 7. p. 156 & 271. v. 16. p. 157 & 119.
XIII. v. 9-11. 14. p. 158. v. 15. p. 119. v. 19. p. 159. v. 16. p. 161. v. 28 p. 96.
XIV. v. 2. p. 104. v. 5. p. 162 v. 7. p. 164. v. 12. 14. p. 166 & 62. v. 17. p. 168.
XV. v. 4-11. p. 39 & 56 not. v. 6. p. 152. v. 9. p. 156. v. 14-16. p. 96 & 103. v. 18. 19. p. 170. v. 31. p. 171.
XVI. v. 20 p. 161. v. 21 p. 173.

XVII.

XVII. v. 4. p. 173. v. 9-12. p. 175.
XVIII. v. 4. p. 39 not. 56 n. & 177 v. 12 p. 186.
XIX. p. 45. v. 6. p. 187. v. 17. p. 191. v. 25 p. 194. v. 25-27. p. 49-76.
XXI. v. 3. p. 195. v. 4. p. 196. v. 6 p. 197. v. 13. p. 199. v. 15. 16. p. 217.
XXII. v. 1-3. p. 201. v. 5. p. 210. v. 6-9 p 213. v. 17-20. p. 217. v. 21. p. 275. v. 23. 30. p. 219.
XXIII. v. 4. p. 219 v. 8. p. 221. v. 8-10. p. 148. item p. 62. v. 14. p. 222. v. 17. p. 225.
XXIV. v. 1. 12. p. 226. 227. v. 16. 18 p 229. 230. v. 19 20. p. 232 v. 21. p. 238. v. 25. p. 120.
XXV. v. 4-6. p. 103.
XXVI. v. 1. 2 p. 238. v. 5. 6. 7. p. 239. 246. 375 & 379. v. 10. 13. p. 248. 249 v. 14. p. 251.
XXVII. v. 2-4. 8-10. p. 252. 253. & 39 not. v. 19. p. 257.
XXVIII. v. 3. 7. p. 260. 268 v. 14. 20 p. 261. 269. v. 22 28. p. 264. 265. v. 22. 23. p. 270. 271. v. 25. p. 272.
XXIX. v. 1. 4. p. 286. v. 18 19. p. 287. 288.
XXX. v. 1. p. 290. & 30. v. 3-7. p. 292. v. 15. p 294 v. 22. p. 295.
XXXI. p. 211. v. 18. p. 299. v. 26. 31. 33. p. 296. 297. & 300. v. 40 p. 303. v. 38. 39. p. 304.
XXXII. v. 8. Præf. f. f. & in p. 305. v. 21. 22. p. 306. 313.
XXXIII. v. 12. 13. p. 314. v. 15. p. 98. v. 14 &c. p. 330. v. 21. 23. 24. p. 333. v. 33. p. 45.
XXXIV. v. 5. 9. p. 191. v. 6 p. 338. v. 10-12. p. 323. v. 9-12. p. 339. 189. v. 12-15. 17-19. p. 323. 342 & 343. v. 17. p. 354.
XXXV. v. 2. p. 191. v. 5 p. 356. v. 6-8. p. 205. v. 19. p. 269.
XXXVI. v. 5. p. 360. v. 7. p. 109. v. 9-11. p. 361. v. 6-19. p. 364-366. v. 21. p. 367. v. 32 p. 368.
XXXVII. v. 2. p. 368. v. 7. p. 369. v. 20. p. 374.
XXXVIII. p. 34. 36. 327. v. 6. p. 375. v. 18. p. 377. v. 34. p. 381. v. 35. 36. p. 382. 383.
XXXIX. v. 10. p. 188. v. 13. p. 384. v. 17. 19. 20. p. 390. v. 33-35. p. 159. 393. 397 & 400.
XL. v. 10. p. 394.
XLI. v. 1. p. 396.
XLII. v. 1. 3. p. 402. v. 5. 6. p. 16. 31. 38. 57. 61. 194. 269. 405. & 408. v. 7. p. 410. v. 10. p. 416. 419.

PSALMI

XIV. v. 7. p. 419.
XVI. v. 8. p. 206. 285.
XVIII. v. 4. 24. 25. p. 152.
XIX. v. 2. p. 271.
XXI. v. 6. p. 172.
XXII. v. 8. 9. p. 152.
XXIII. p. 365.
XXIX. v. 5. 6. p. 127.
XXXI. v. 20. 21. p. 115.
XXXII. v. 5. p. 299.
XXXIII v. 18. p. 285.
XXXIV. v. 16. p. 109.
XXXV. v. 5. p. 294.

 XXXVI.

XXXVI. v. 10. p. 278. v. 7. p. 351. not.
XXXIX. v. 2. p. 144. not. v. 10. p. 160 & 394. v. 12. p. 96.
XLVI. v. 3-7. p. 127.
XLIX. v. 8. p. 366. v. 13. 14. p. 102. 104.
LI. p. 383.
LVIII. v. 4 p. 300.
LXII. v. 10. p. 173.
LXIII. v. 9. p. 285.
LXVIII. v. 19. p. 419.
LXXIII. fin. p. 285. it. v. 2. p. 175. v. 11-14. p. 83.
LXXXV. v. 2. p. 419.
LXXXVIII. v. 11. p. 240.
LXXXIX. v. 30. 37. 38. p. 166. 235.
XCIV. v. 18. p. 175.
CII. p. 60. not. & 96. v. 18. p. 229.
CIII. v. 3. 5. p. 337. v. 20. 21. p. 99.
CIV. p. 184. v. 29. p. 343. v 27-30. p. 351. not.
CVII. v. 17-20. p. 337. v. 19. p. 365.
CXIII. v. 8. p. 364.
CXIX. v. 67. p. 172. v. 113. p. 95.
CXXI. v. 3. p. 313.
CXXXV. v. 6. p. 247.
CXXXIX. v. 3. p. 276, v. 6. p. 149. 150. v. 16. 17. p. 280.
CXLV. v. 14-16. p 351. not.
CXLVI. v. 4. p. 156.

PROVERB.

VIII. v. 27. p. 249. 262. 266.
IX. v. 18. p. 245.
XV. v. 3 p. 109. v. 11. p. 246.
XXI. v. 18. p. 245.
XXV. v. 14. p. 294.

ECCLESIAST.

III. v. 11. p. 327.

ESAIÆ

I. p. 205. v. 9. p. 218.
III. v. 7. p. 355.
XIV. p. 245.
XXVI. v. 8. p. 327. v. 19. p. 245.
XLIV. v. 5. p. 309.
XLV. v. 4. p. 309.
LI. v. 8. p. 96.
LVIII. v. 4. p. 205. 413.
LXIV. v. 1. p. 186.

JEREMIÆ.

II. v. 13. p. 235.
XII. v. 10. p. 231.
XIV. v. 22. p. 381.
XV. v. 18. p. 228.
XVI. v. 20. p. 161.
XVIII. v. 6. p. 99. v. 14. p. 234.
XXX. v. 18. p. 419.
XXXIII. v. 35. 36 p. 235.

THREN.

III. v. 36. p. 189.

EZECHIELIS.

XIV. v. 14. p. 4.
XVIII. v. 4. p. 39. 56. not. & 326.
XIX. v. 25-27. p. 49-76.

DANIELIS

IV. v. 32. p. 119.
VII. v. 1. 28. p. 98.
X. v. 8. 9. p. 98.

JOELIS

II. v. 3. p. 96.

AMOS

V. p 205.
VIII. v. 5. p. 189.

MICHÆÆ

VI. v. 1-3. p. 326.

NAHUMI

I. v. 3. p. 393.

HABACUC

II. v. 2. 3. p. 166.

MALACHIÆ

III. v. 14. 15. p. 356. not.

SY-

SYRACID.
XI. v. 13 p. 295.
MATTHÆI
V. v. 8. p. 406.
VI. v. 23. p 88.
VII. v. 28. p. 104.
XI. v. 6 p. 293.
XIII. p. 86.
XXII. v. 31. 32. p. 421.
XXIII. v. 14. p. 238.
MARCI
XI. v. 22. 23. p. 184.
LUCÆ
VII. v. 24. p. 292.
XVI. p. 22. & 259.
XVIII. v. 34. p. 46. not.
XX. v. 37. p. 54. 421.
JOHANNIS
I. v. 1. p. 262. v. 47. p. 108.
IV. v. 42. p. 408.
XIV. v. 19. p. 60. not.
XV. v. 20. p. 101.
ACTORUM
I. v. 20. p. 271.
II. v. 1. 17. p. 93.
V. v. 3. p. 88.
XVII. p. 57. & 135.
XVIII. v. 5. p. 197. not.
AD ROMAN.
I. v. 20. p. 271.
II. v. 1. p. 17.
IV. v. 3. p. 335.
V. v. 3. p. 88.
VIII. p. 66.
IX. v. 14. p. 188. v. 20. p. 327. v. 30. p. 99.
X. v. 6. 8. p. 270.
XI. v. 33-36. p. 325.
I. CORINTH.
I. v. 21. p. 263.
X. v. 11. p. 64.
XIII. v. 12. p. 406.
II. CORINTH.
IV. v. 1. p. 104. v. 7. p. 371. v. 17. p. 122.
GALATAS
II. v. 6. p. 371.
EPHESIOS
I. v. 3. p. 337.
PHILIPPENSES
III. v. 10. p. 137.
COLOSSENSES
III. v. 5. p. 302.
I. THESSALON.
IV. v. 13 p. 165.
I. TIMOTH.
I. v. 17. p. 325.
II. v. 5. p. 335.
II. TIMOTH.
I. v. 12. p. 72.
III. v. 16. 17. p. 376.
TITUM.
II. v. 7. p. 93.
I. PETRI
I. v. 3. p. 337.
II. PETRI
I. v. 4. p. 337. v. 16-18. p. 405.
II. v. 20. 21. p. 137.
HEBRÆOS.
I. v. 1. p. 331 & 335. v. 3. p. 350.
VI. v. 19. p. 96.
VII. v. 8. 16. 25. p. 60. not.
IX. v. 12. p. 336.
XI. v. 24-27. p. 54. 327.
JACOBI
I. v. 5. p. 263. v. 13. p. 157.
IV. v. 11. p. 214.
V. v. 10. 11. p. 4. v. 16. p. 184. v. 17. p. 382.
JUDÆ
Vers. 6. p. 100.
APOCALYPSIS
XIII. v. 10. p. 417. 419.
XX. v. 13. p. 247.
XXII. v. 20. p. 186.

ADDENDA.

PAg. 82 media. *Num adhuc retineas tuam integritatem?*) „ Haud diſſimili animo Tobitæ „ uxor maritum ſic increpat Πȣ̃ εἰσιν ἁι ἐλεημοσύ- „ ναι σȣ καὶ ἁι δικαιοσύναι σȣ; Tobit. II. 16. Tales „ habebat Job conſolatores, qui pro lenimentis „ dolorum objurgatione duplicabant ægritudi- „ nem. Neque minima pars malorum erat uxo- „ ris lingua. Adhuc tu permanes in ſimplicitate „ tua? Benedic Deo & morere. Nec prius facet „ ille Tobias erupit in lachrymas, quam ictus „ uxoris lingua. *Manifeſte vana facta eſt ſpes* „ *tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt.* “ Eraſmi Lingua, p. m. 171. Eas certe mulieres, pias neutiquam duxit, & probas.

P. 115. med. *De aculeatis dictis uſurpant.*) Inde vult Eraſmus Paulo dictum 1. Tim. III. 3. oportere Epiſcopum eſſe μη πληκτην non percuſſorem. *Lingua* p. 172.

P. 153. *Te apello, ô Deus! iniquitatis ultorem.* &c.) Huic germanum epiphonema cum perſonæ mutatione, videre eſt Joſuæ XXII. 22.

P. 373. *Ne mireris igitur aut offendaris* &c.) Ut omnem ſuper hîc à me dictis offenſionem depellam, & invidiam amoliar, nihil conſultius duxi, quam ut docti pariter & pii Ciceſtrenſis Epiſcopi, mecum ſentientis, verba adtexerem, quæ ſic habent. „ Quod ſi res adeo ſimplex, vetus ſit „ Hebræorum Poëſis, unde factum, inquies, quod „ viros acutiſſimos cognitio ejus hactenus fuge- „ rit, & ut eruditi fere omnes ejus inſtaurationem „ inter ἀδύνατα poſuerint? Reſpondeo hanc ipſam „ ejus ſimplicitatem partim in cauſa fuiſſe, quod „ ejus inveſtigatio quærentibus non felicius ceſ- „ ſerit.

„ ferit. Qui, non ſatis ſecum reputantes, antiquiſ-
„ ſima quæque eſſe ſimpliciſſima, arteſque omnes,
„ quo initiis propiores eſſent, eo fuiſſe rudiores,
„ nec niſi longo temporis progreſſu ad ἀκμὴν ſuam
„ perductas, temere nimis crediderunt, Poëmatia
„ hæc, quod ſacra eſſent, nec ſine quodam nu-
„ minis afflatu compoſita, ideo eſſe in ſuo genere
„ perfectiſſima, omnemque Poëſeos cultum &
„ ornatum, quæ multis poſt ſæculis apud Græcos
„ obtinuit, in his quæri oportere &c. *Hare,*
„ *Prolegom. in Pſalmos* p. 32. "

Pag. 376. *Qui terram ipſi ſuſtentent.*) Profecto, ſi primas notiones intueamur, quas inde a pueritia juxta ſenſuum judicium nobis effinximus, Tellus habebitur pro mole ingenti, cujus eſt plana ſuperficies, profunditas vero immenſa, ſic ut ad imum pertingi nequeat, ac proinde fulcro nullo indigens, cui innitatur; ſed in quam univerſa mundi machina ſecura recumbit. Craſſus equidem ille error; at ex eo diſcimus infinitatis ideam nobis ineſſe, mentique perpetuo obverſari; cujus quamdiu verum, ut ita loquar, Subjectum, nempe Deum, ignoramus, eam tempori, ſpacio, cauſarum ſeriei, rebus quibuſvis, quæ oculis objiciuntur, dum terminus ubi deſinunt non conſpicitur, prave adfigimus. Inde terram immobilem, & propria vi ſuſtentatam concipere, nobis proclive eſt. *Obſervandum porro* &c.

E M E N D A N D A.

PAg. 18 *exacte diſſeruerit*, lege *exacta*. 59 linea ultima *in pulvereo campo, mentio facta; Numinis.* Sic interpunge: *campo; mentio facta Numinis* &c. 108 *excuſſis*, lege *excuſſus*. ibid. *vulpina aſtutia*, lege *vulpinæ aſtutiæ*. 129 *deprom-*
ptum,

ptum, lege *depromptam.* 136 *Hebeſceret*, *inquam*, lege *Hebeſceret? inquam.* 137 *verſu eo*, lege *verſu decimo.* 141 *eam amittere poſſe*, lege *eam nos amittere poſſe.* 142 *ſed non erranti*, lege *ſed nunquam erranti.* 274 in marg. *Boilojus*, lege *Bolæus.* 275 ult. *alicujus facere*, lege *alicujus rei facere.* 165 *vivis*, lege *viris.* 176 *quæ cum cura*, lege *quæ eum cura.* 180 *melius proceſſura omnia*, dele *omnia.* ibid. *egeſtatam*, lege *egeſtatem.* 182 *raptu*, lege *rapto.* 196 *dicamus*, lege *dicimus.* 284 in fine *vel qualiacunque ſint*, legendum *vel damnis qualiacunqua ſint.* 292 *reſpondet. Hoc vero*, lege & interpunge *reſpondet*; *hoc vero* &c. 314 in nota *eo textu*, lege *à textu.* 321 *potuerint. Quo errore*, lege *potuerint*, *quo errore* Mox pro *conſulunt. Sic*, lege *conſulunt: ſic* &c. 323 *Elihu majeſtatem*, lege *Dei majeſtatem.* Eadem pag. ult. *adquieſcamus*, *vias* &c, lege *& vias.* 330 *ſibi quicquam nedum*, lege *ſibi quicquam videt*, *nedum.* 357 *nonnullum*, lege *nonnullam.* 369 θαυμαςέ, lege θαυμαςιε. 372 *eximium habent vim* &c, lege *eximium legimus*, *id vim* &c. 422 *quid ea ſit factum* lege *quid ea factum fuerit.*

Hi fere ſunt lapſus, L. B., quos te emendare velim; Viro docto, qui plagulis typographicis recenſendis præfuit, cujuſque accurationem ſatis prædicare non poſſum, magnam partem non imputanda, ſed ipſi Auctori, cujus autographo voces nonnullæ exciderunt; qui etiam inter edendum nonnulla immutavit, longe pluribus fortaſſis limam adhibiturus, niſi ſciti Quintilianei memor fuiſſet, *emendandi quoque modum eſſe debere.* Cæteros errores, qui oculum, aut mentem fugerunt, ignoſcas, Lector, quæſo, & boni conſulas.

Digitized by Google

XXIII+
C
10

Digitized by Google